



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Secundus In Octo Libros Physicorum Aristotelis

Crespin, François

Bruxellæ, 1652

Disputatio IV. De Subsistentiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95369)

D V B I V M VII.

an potentia, per quam forma ex parte sua recipitur in materia, distinguitur realiter à forma.

R E S O L U T I O.

cc. **D**ico contra auctores citatos Disput. præcedenti Dub. 7.º potentia per quam forma ex parte sua recipitur in materia, distinguitur realiter à forma.

cc. i. Probatur potentia, sive instrumentum, causas efficientis & materialis, ab illis realiter distinguitur; ergo & potentia, sive instrumentum causæ formalis, seu formæ; consequentia tenet a pari.

cc. ii. Obijciat, vel illud instrumentum & potentia formæ, esset formæ connaturalis, vel non? si primum; ergo debet à forma emanare, & in forma recipi, quod est contra dicta Disputat. præcedenti Dub. 7.º videlicet, quod identificetur potentia instrumentali materiæ, quæ à materiæ emanat, & in ea recipitur: si secundum; ergo non bene argumentatur à causa materiali ad formalem, quia illius potentia est illi connaturalis, non huic, ergo, &c.

cc. iii. Respondeo 1.º retorquendo argumen-

tum in causalitatem formæ: vel causalitas formæ, scilicet unio, est formæ connaturalis, vel non? si primum; ergo debet ex forma educi, & in forma recipi, quod est contra dicenda, videlicet, quod identificetur causalitati materiæ, quæ ex sola materia educitur, & in ea sola sustentativè recipitur: si secundum; ergo non bene argumentatur à causa materiali ad formalem, videlicet, quod hæc debeat habere causalitatem in compositum, sicut illa.

cc. iv. Respondeo 2.º illam potentiam esse connaturalem materiæ primæ, ac proinde illius proprietatem; sicut instrumentum & potentia, quæ fit effectus, est connaturalis causæ efficienti & illius proprietatis; hujus ratio est, quia alioqui, ubi una sufficit potentia universalis, sicut causa est universalis, oporteret tot potentias multiplicare, quot multiplicantur formæ & effectus, sine ulla necessitate; quia sicut optimè intelligitur eandem indivisibilem entitatem actionis, receptam in materia, esse causalitatem ut quo materiæ passivam, & formæ activam, sive in facere & in fieri, & unionem in componere; ita optimè intelligitur eandem potentiam receptam in materia, esse potentiam materiæ & formæ in recipere & recipi.

Pro aliarum objectionum solutione, vide dicta dubio citato.

DISPUTATIO QUARTA.

De Subsistentia.

D V B I V M I.

Qua sit ratio formalis Subsistentiæ, sive (quod idem est) quis est Eius formalis Subsistentia.

Ante Resolutionem
i. Suppono Subsistentiam, à qua subsistens; supposititalitatem, à qua suppositum, se habere ad personalitatem, à qua persona, ut magis ad minus commune: subsistentia enim & supposititas indifferenter afficiunt naturam, sive animatam, sive inanimatam; rationalem, sive irrationalem; personalitas verò solum naturam rationalem, sive intellectualem: unde Boëtius libro de duabus naturis, personam definit, *rationale naturæ individuum substantiam* (puta completæ per subsistentiam;) hypostasin verò, quo nomine variuntur, & à qua unio hypostatica dicitur, confundit cum persona. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O I.

ii. **D**ico 1.º effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam formaliter existentem. est contra Cajetanum 3. p. q. 4. art. 2.º quem plures Thomistæ sequuntur; rectè tamen ostendit P. Ioannes à S. Thoma Phys. q. 7. art. 4. D. Thomam non sumere pro eodem existentiam & subsistentiam.

iii. Probatur 1.º quia subsistentia distinguitur realiter à natura, ut probabitur dubio sequenti; non verò existentia, ut supra Disp. 2.º insinuatum est, ergo, &c.

iv. Probatur 2.º quia alioqui sequeretur, humanitatem Christi extitisse ab æterno; quia existe-

ret per subsistentiam Verbi, quæ, si sit existentia, est formalis existentia æterna; ac per consequens dat existere ab æterno; quia posita causa formali in subiecto, impossibile est effectum formalem non sequi, ergo, &c.

v. Confirmatur, quia, vel subsistentia est duæ negationes, actualis & aptitudinalis dependentiæ ab alio, tanquam supposito, ut Scotistæ; vel positiva entitas ultimò complens naturam in esse, ut alii omnes communiter docent: sed hæc præsupponit naturæ existentiam, quia alioqui reciperetur in nihilo (quod supra Disp. 2. Dub. 4.º fusè impugnatum est) ut patet; & illæ negationes non possunt esse existentia naturæ; quia hæc debet esse positiva, ut fatentur omnes, ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

vi. **D**ico 2.º effectus formalis subsistentiæ, non est constituere naturam potentem proximè operari, quasi virtus operativa naturæ non sit in actu primo proximè potens operari, sine subsistentia.

vii. Probatur, Accidentia in Eucharistia sunt proximè operativa, & operantur sine subiecto & subsistentia; ergo à fortiori natura, si subsistentiâ privetur; ergo effectus formalis subsistentiæ non est, &c.

viii. Confirmatur, ignis in operari non aliter pendet à subsistentia, & fortè minus (si nempe subsistentia dicatur terminus naturæ) quàm ab approximatione passivi; unde, vel approximationi tribuendus idem effectus formalis ac subsistentiæ, quod foret absurdum; vel dicendum illum non esse effectum formalem subsistentiæ, magis quàm approximationis, ergo, &c.

ix. Nec dicas *actiones esse suppositorum*; nam axiom illud ita intelligi debet, ut supposita tantum sint principium quod, & denominationis actionum, non autem quo, & formale.

RESOLUTIO III.

x. Dico 3^o. in sententia asserente subsistentiam esse duas dictas Resolutione primâ negationes, effectus formalis subsistentiæ est, constituere naturam totalem incommunicabilem, alteri naturaliter, tanquam supposito positivo, ut explicabitur Dub. 2^o. Resolut. 2^a.

xi. Probatur, quia aliud non apparet, in quo constitui possit, ergo, &c.

xii. Obijcies 1^o. materia prima potest naturaliter existere sine omni forma, & anima rationalis separata ab omni corpore; sed in illo casu habebunt subsistentiam, & consequenter effectum formalem subsistentiæ; ergo effectus formalis subsistentiæ non est, constituere naturam totalem incommunicatam & incommunicabilem alteri naturaliter, tanquam supposito.

xiii. Respondeo negando minorem; quia sicut materia potest naturaliter existere sine unione ad animam rationalem, & è contra; ita & sine unione ad subsistentiam; non enim esse debet major dependentia ab hac, quam à se invicem: deinde non apparet, qualis negatio esse possit subsistentiæ partialis utriusque, quandoquidem anima rationalis sit apta esse in materia, tanquam partiali supposito (si detur) & utraque in toto, tanquam totali supposito.

xiv. Instabis ex P. Telles Metaphysicæ Disput. 57. Sect. 3^a. ubi docet cum S. Thoma, Suarez, Vasquez, Conimbr. &c. nequidem divinitus naturam creatam conservari posse sine aliqua subsistentia; quia implicat contradictionem, naturam esse terminatam, & non esse; sed hoc contingeret, ergo, &c. Probatur minor, esset quidem terminata, quia esset extra causas; non esset, quia non haberet terminum, sive subsistentiam, ergo, &c.

xv. Respondeo distinguendo majorem, implicat naturam esse terminatam essentialiter, & non esse terminatam essentialiter, & eodem sensu, concedo majorem; esse terminatam essentialiter, & non esse terminatam substantialiter, & diverso sensu, nego majorem; esset autem terminata essentialiter, utpote posita extra causas, quomodo secundum totam essentiam poni debet; non esset verò terminata substantialiter, quia terminus ille substantialis (licet esset positivus) non minus est contingens materiæ, aut animæ rationali, quam anima rationalis materiæ, & materia animæ rationali: Sanctus Thomas autem probabiliter loquitur de natura totali, & subsistentia disjunctivè descendente ad consistentem in duabus negationibus, aut in entitate positiva, sine quarum alterutra, nequidem divinitus existere potest; quia realiter inter illas & positivam, non datur medium.

xvi. Obijcies 2^o. natura totalis secundum se est incommunicata, & incommunicabilis alteri tanquam supposito; ergo effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam totalem, &c.

xvii. Respondeo negando antecedens, quia præcisâ negatione est indifferens ad esse communicatum & incommunicatum, communicabile & incommunicabile, quæ indifferencia est realiter impossi-

bilis; ac proinde etiam realiter impossibile est naturam totalem secundum se, esse incommunicatam & incommunicabilem; unde, si natura totalis non haberet negationes communicationis & communicabilitatis; hoc ipso esset communicata & communicabilis; quia realiter negatio tollitur per formam oppositam, & alterutra necessariò est realiter, vel ipsa, vel forma ei opposita.

RESOLUTIO IV.

xviii. Dico 4^o. in sententia asserente subsistentiam esse formam positivam, dici potest, 1^o. effectum formalem subsistentiæ esse, esse principium & basim suppositam naturæ, eo modo, quo materia prima est principium, & basim supposita formæ; vel dici potest 2^o. illius effectum formalem esse, esse terminum ultimum substantialem, & finem superpositum naturæ, eo modo, quo forma superponitur materiæ. 1^a. pars est eximii D. Caramuelis suæ Philosophiæ lib. 3. Disp. 1. sectionis 13. tamque omnino puto esse plurimorum Nominalium, Okami Quodlibet. 4^o. Gabriëlis in 3^{um} dist. 1^a. q. 2^a. art. 3^o. Richardi etiam in 3^{um} Disp. 6. art. 1^o. q. 1^a. Durandi in 1^{um} Disp. 34. q. 1. qui sic negant suppositum nihil superaddere naturæ, ut tamen velint cum Magistro nostro Bachone in 3^{um} Dist. 1. q. 1. art. 3^o. aliquid esse infra naturam suppositabilem, quod ad rem nostram vocat *suppositivum præhabitu naturæ*, ut etiam ex his verbis manifestu est, licet natura suppositabilis sit idem realiter cum esse suppositabili, dummodo inter illa sit ordo ex natura rei, & dummodo præhabeat sufficiens suppositivum, potest ab illo suppositari, quod mihi èd verius 1^o. quod etiam Durandus loco cit. comparat suppositum ad naturam, sicut album ad albedinem; album autem nihil quiddè supra albedinem dicit; per modum termini albedinem terminantis, tamen aliquid dicitur infra albedinem per modum suppositativi albedinem suppositantis, aut si mavis subjacentis; igitur ex mente Durandi idem dicendum de supposito respectu naturæ creatæ: 2^o quod eximius P. noster Bacho in suis operibus ubique Durandum, Gabriëlem, Okamum & alios Nominales, pro, vel contra se citet; ibi autem, nec pro, nec contra, quasi illa sit inter ipsos communis & recepta sententia, quod mihi probabiliter persuadeo, tum ut tantos viros, tum ut P. Wadingum, qui Disput. 4. de Incarn. Dub. 2^o. §. 5^o. num. 47. scribit se legisse triginta octo auctores; qui eam tenent ex professo, inter quos numeravit, è Societate sua Salmeronem tom. 2^o. Tract. 27. & Molinam i. p. q. 29. art. 2. Disp. 3. à gravi nota, quam post alios, ipsis inurit P. Poncius Metaph. Disp. 18. ubi de Durando & Wadingo dicit cum hæreticis convenire, & sicut illi in eo erraverunt, ita & illos errare, vindicem.

Probatio prima Partis.

xix. Probatur prima pars: Concilia, & Sancti Patres nomina subsistentiæ & personæ confundunt, ut constat ex verbis Iustiniani Imperatoris in secundo volumine Conciliorum relatis, & ab omnibus Græcis ac Latinis Patribus receptis, Omnes Sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam seu substantiam & formam, & aliud esse subsistentiam sive personam. Sed ex iisdem clarè colligitur personam esse principium, seu basim naturæ; ergo dici

Disp. IV. de III. Principio Corporis Natur. sive Subsistent. Dub. I. 47

dici potest effectum formalem subsistentiæ esse, esse principium seu basim suppositam naturæ: Probatur minor primò, quia id significat primò Concilium Chalcedonense his verbis, qui (scilicet Christus) *duabus in naturis sine confusione, &c. cognoscitur, sed utriusque naturæ servata proprietate, & in unam personam atque in unam hypostasim* (id est, subsistentiam) concurrente: nunquam autem dicitur subjectum concurrere in formam, sed forma in subjectum, ergo ibi significatur subsistentiam non se habere per modum formæ, termini & finis, sed per modum subjecti, principii & basis.

xx. Probatur secundò clarissimè ex Concilio Lateranensi consultat. quintà, Canone primo, ubi Martinus quintus definit, *Deum esse unitatem in Trinitate, & explicat unum Deum in tribus subsistentiis*: item ex Concilio Constantinopolitano (referentibus Granado tomo tertio in primam partem, & Salmanticensibus tomo secundo in primam partem) in quo exstat Epistola ad Damasum, in qua asseritur, à Nicæna Synodo dictum esse, ut coeternum regnum (id est Divinitas) in tribus perfectis subsistentiis credatur.

xxi. Probatur 3o. ex Paribus: 1o. S. Thoma q. 9. de potentia art. 5o. licet tota & perfecta Divinitas, sit in qualibet trium Personarum, id est, personalitatum, sive subsistentiarum: quia 1a. parte q. 29. art. 2o. personam à subsistentia in eo duntaxat distinguit, quòd subsistentia significet communiter in toto genere substantiarum, persona in genere rationalium substantiarum. sed clarissimè in 1o. sent. dist. 34. q. 1a. in illis enim in quibus aliud est essentia, quam hypostasis vel suppositum, oportet quòd sit aliquid materiale (puta instar principii & basis) per quod natura communis individuatur & determinetur ad hoc singulare. unde illam determinationem materia, vel alicujus, quod loco materia se habet, addit in creaturis hypostasis supra essentiam & naturam; ecce S. Thom. aliquid in hypostasi, (quæ omnes Ecclesiæ Græcæ & Latinæ Patres confundunt cum persona, ut bene monstrat Vasques in 1am partem tomo 2o. Disp. 126.) comparat ad naturam, sicut communiter comparatur materia ad formam: hisque conformiter Iustinianus supra cõfundit naturam cum forma, dicens aliud esse naturam seu formam, &c. & P. Hurtadus Disp. 11. Metaph. sect. 5o. dicit *Divinum Thomam tribuere subsistentiæ esse subjectum naturæ.* & quidem, quia 2o. contra gentes cap. 68. sic habet, *unde sequitur aliud, scilicet quod forma & materia conveniant in uno esse, &c. & hoc esse (nota) est in quo subsistit substantia composita.*

xxii. Confirmatur 1o. ex communi modo loquendi omnium Patrum & Scholasticorum, unio hypostatica non est facta in natura, sed in persona, id est, non fuit naturarum inter se, sive in naturis; sed in personalitate Verbi; ergo hæc se habet per modum subjecti, principii & basis naturæ.

xxiii. Confirmatur 2o. quia subsistentia ab eo dicitur, quòd subsistat; suppositalitas, ab eo quòd subponatur; unde ad rem nostram D. Thomas 1. p. q. 29. art. 2o. in corpore, *substantia secundum quod per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia*; ergo est principium & basis naturæ, & non terminus, sive finis; aliàs deberet dici supersistentia, & non subsistentia; superpositalitas, & non suppositalitas, ut consideranti patebit, ergo, &c.

xxiv. Objicies 1o. si subsistentia esset principium & basis naturæ; materia prima haberet subjectum sustentationis, sed hoc est falsum, ergo, &c. Pro-

batur minor, quia materia prima ab omnibus communiter definitur *primum subjectum*, &c. ita scilicet, ut omnes formas materiales substantiales sustentet, & non sustentetur; non generetur, sed creetur, ergo, &c.

xxv. Respondeo negando minorem, ad ejus probationem: Respondeo assumptum verum quidem esse in hypotesi Resolutionis pro 2a. parte, quam statim ponemus, & quam omnes admittentes subsistentiam positivam communiter sequuntur; non verò juxta hanc, secundum quam defendimus materiam primam non esse subjectum sustentationis absolute primam, sed respectivè ad formas omnes materiales substantiales à se distinctas; nec dici debet creari aliter, quàm Disp. 3a. Dub. 4. diximus formas elementares, & cœlestes creari; sed dici debet generari, non secus ac illa; educi de subsistentia, non secus ac formæ ex materia, quod docet noster Bachelo in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. §. 2o. ubi ait *essentiam compositam ex materia & forma generari*, licet neget materiam & formam generari simpliciter; eò quòd sint entia per se incompleta, quæ sicut ex dictis Disp. 2. Dub. 3o. simpliciter non sunt: ita nec simpliciter generantur. neque isti Responsioni, adversatur D. Thom. 1. p. q. 46. art. 1o. ubi ait, *nos autem dicimus, quòd materia & calum producta sunt in esse per creationem*, quia ut satis constat ex dictis Disp. 3. de formis elementaribus; S. Thom. ibi sumit *creationem* prout opponitur generationi sumptæ in rigore Aristotelico, pro productione formæ ex subjecto prius tempore existente; non verò prout opponitur productioni formæ ex subjecto sustentationis, quomodo generationem hinc fumimus.

xxvi. Instabis 1o. illa subsistentia reverà est materia prima, quia illi convenit simpliciter definitio materiæ primæ, & fungitur munere illius; ergo supra illam necessariò juxta fidem admittenda est subsistentia fungens alio munere, quàm basis naturæ. consequentia patet; antecedens est Aristotelis Phys. 1o. cap. 9. textu 82. ubi sic habet, *incorruptibilem & ingentiam necesse est materiam esse; si enim fiat, subjici aliquid oportet primum, ex quo inexistente sua hoc autem est ipsis natura: quare erit antequam fiat;* ergo, &c.

xxvii. Respondeo negando antecedens, quia per subsistentiam intelligit Ecclesiæ, & omnes Ecclesiæ Patres moderni, aliquid realiter distinctum ab essentia, & substantia suppositi; unde in Concilio Toletano undecimo, in Confessione fidei, definitur *unam tantum esse in Deo substantiam*: ac proinde & aliquid realiter distinctum à materia, quæ est pars naturæ, sive substantiæ materialis, juxta Aristotelem & alios. Ad probationem antecedentis, nego quòd illi conveniat definitio materiæ primæ, quia materia definiti debet *uniuscujusque formæ materialis substantialis immediatè primum subjectum sustentationis*; idque ex mente Aristotelis; subsistentia verò, *primum subjectum, & basis naturæ substantialis*; immediatum quidem sustentationis respectu materiæ primæ; mediatum autem sustentationis respectu formæ materialis; sed informationis tantum, respectu spiritualis. Denique de fide est materiam fuisse assumptam à Verbo, & non subsistentiam ejusdem compositi, cujus parserat materia; unde clarè sequitur, subsistentiam & materiam esse in eodem composito realiter distincta; ac proinde nec subsistentiam fungi munere materiæ primæ, quod est formas materiales

materiales sustentare, non verò naturas; suppositare; unde in eo, quod loco citato, dicit Aristoteles, errat, prout subsistentiam à natura realiter distinctam ignorando in aliis erravit.

xxviii. Instabis 2º. si materia posset educi & generari ex subsistentia, posset ab agente naturali produci, & corrumpi strictè; sed hoc nullus admiserit, ergo, &c. Probatur sequela, quia agens naturale potest generare, & generatum corrumpere.

xxix. Respondeo negando sequelam, ad ejus probationem. Respondeo agens naturale, nec posse omne ens generabile generare, nec omne generatum strictè corrumpere, ut constat ex Cœlis in sententia eorum, qui admittunt illos esse incorruptibiles: deinde agentis naturalis generatio, fit per introductionem præviam dispositionum; & corruptio, vel per introductionem contrariarum, vel per subtractionem violentam alicujus necessario requisiti ad illam; materia verò prima ad se nullas dispositiones in subsistentia admittit; quia est subjectum primum omnium illarum; nec apparet quid ad ipsam sit necessario requisitum, ex cujus violenta subtractione corrumpatur; non enim ipsa subsistentia, quia creatur, ut patet; neque unio, vel educio è subsistentia, quia illa est à solo Deo, & à creatura incorruptibilis, defectu contrarii, ut præmissum est. adde Antonium Andream & Niphum 4. Metaph. q. 9. quos citat Murcia hic Disp. 5. q. 9. sentire materiam primam esse generabilem. ne alioqui putes ista omni distitui autoritate.

xxx. Instabis 3º. Si materia posset generari & educi ex subsistentia, posset & anima rationalis saltem ex partiali subsistentia spiritali; sed hoc videtur esse contra fidem, quæ docet illam creari, ergo, &c.

xxxi. Respondeo negando sequelam, quia in primis fides non docet de materia prima, quòd docet de anima rationali, nempe esse creatam, spiritualement substantiam, &c. unde dici potest hanc non pendere à subsistentia, nisi ut jam in omnium sententia pendet à materia, scilicet tanquam à conditione sine qua non causæ materialis ut subjecti adhesionis: addo tamen, fortè animam non dici creari, prout ly *creari* idem est, quod ex nullo fieri subjecto; sed prout idem est, quod ex nulla fieri præjacente materia, quomodo fit gratia, licet generari & educi ex subjecto spiritali dicatur; quod fortè de anima rationali etiam admittere poteris, si dicas ejus educationem in se vel in simili, ac per consequens ipsam esse, conformiter ad Ephesinum & Lateranensè, ex natura sua incorruptibilem & immortalem, ut multis est forma Cœli empyrei.

xxxii. Objicies 2º. definitis substantiam immediatum subjectum quod sustentationis subsistentiæ; ergo subsistentia non potest esse subjectum, seu basis naturæ substantialis: probatur consequentia, quia alioqui præsupponeretur sibi ipsi, ut consideranti patebit.

xxxiii. Respondeo distinguendo antecedens, definimus substantiam, &c. sistendo alia in 2ª parte Resolutionis juxta communem omnium, concedo antecedens: sistendo in hac prima parte, nego antecedens; juxta hanc enim definiti debet, vel potius ita explicari, ut sit id, quod exigit naturaliter subsistere ut quo vel ut quod, quia illud juxta communem non potest non esse substantia secundum rigorosam substantiæ definitionem, quæcumque illa sit, nec tale quid sunt quantitas, ubi & similia acci-

dentia; quia solum exigunt esse in substantia, & hæc mediante subsistere; ut constat ex dictis in Logica Tract. 5. Disp. 1.

xxxiv. Objicies 3º. in casu conclusionis subsistentia esset materialis: vel spiritalis? sed neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor, quia si materialis, ex ea educi non posset forma spiritalis; si spiritalis, ex ea educi non posset materia prima, ergo, &c.

xxxv. Respondeo fore diversæ speciei; materialis quidem erit illa, ex qua educeretur materia; spiritalis verò ex qua educeretur incorporea & spiritalis forma; sicut in communi sententia illud dicitur subjectum spiritalis, ex quo educitur forma spiritalis; & materiale, ex quo materialis; quia non cognoscimus naturam subjecti nisi à posteriori ex formis, quæ ex subjecto educuntur.

Si verò præcedentes solutiones tibi exoticæ nimirum videantur, dic materiam & animam rationalem creari, nec aliter à subsistentia basi pendere, quam modo anima rationalis, in communi sententia, à materia 1ª. pendet.

xxxvi. Objicies 4º. Natura Divina est prior subsistentis; ergo non est earum basis seu fundamentum: consequentia patet, probatur antecedens, quia est earum principium, principium verò est prius principiato, ergo, &c.

xxxvii. Respondeo in primis hoc argumentum nihil concludere in creatis. Respondeo 2º. in divinis dari mutuum prioritatem; nam in Patre natura divina est prius, quàm Filio sit communicata, quia natura Divina communicata Filio est posterior filiatione, & communicata Spiritui sancto est posterior spiratione, quia non est communicata nisi mediantibus processionibus, illis, per quas constituuntur Filius & Spiritus Sanctus: unde ex hoc argumento nihil colligi potest contra Resolutionem. De qua autem prioritate & posterioritate sint hæc intelligenda, oportunitus dicitur suo loco in Theologia.

xxxviii. Respondeo 3º. negando antecedens, quia in primis subsistentia Patris est innascibilitas, unde non habet principium, ac proinde nec naturam divinam se priorem: deinde Natura divina in Filio, filiatione; in Spiritu sancto, spiratione, est posterior, ut dictum est.

Probatio secundæ Partis.

xxxix. **P**ROBATUR 1º. ex verbis Alexandri Tertii in Lateranensi Parte quadragesimâ nonâ, capite 20. sub eodem celebrato relatione; *Sicut Christus est verus Deus, ita est verus homo ex anima rationali & humana carne subsistens, ly ex anima in aliis denotat causalitatem materialem, ac proinde subsistentiam non esse principium, sed terminum; non basim, sed finem, ergo, &c.*

xl. Probatur 2º. ex sancto Thoma tertia parte q. 2ª. art. 4º. in corpore, *Hypostasis Christi potest considerari secundum variationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis, &c. sic dicitur persona composita (scilicet Christus) in quantum unum in duobus existit, id est, in quantum una personalitas Verbi in duabus naturis existit: iterum ex Richardo de sancto Victore, de Nominis Ethymologia capite 15. invenimus namque, quod plures illæ in divinitate personæ, &c. id est, subsistentiæ*

sistentiæ; nam personæ adæquatè non fuerunt in divinitate, sed potius divinitas in personis, ergo, &c.

XL. Confirmatur ex communi ferè omnium modernorum Theologorum, qui subsistentiam unanimiter accipiunt pro termino ultimo, sive sine substantiali naturæ.

XLII. Ad fundamenta autem prioris sententiæ 1^o. Respondetur, cum in Chalcedonensi dicitur *Christus in duabus naturis cognosci, utriusque nature proprietate in unam personam concurrente*; personam intelligi posse completè, ut sit sensus, utriusque naturæ proprietate componente personam completam: eodem modo intelligitur Lateranense, cum dicit *Deum esse unitatem in Trinitate; unum in tribus subsistentiis*, ergo, &c. quia tantum vult divinitatem esse in tribus personis completè sumptis: denique ita etiam intelliges Divi Thomæ verba, ex quæst. 9. de potentia, &c. loco verò in primum sententiarum oppones loca ex tertia parte & in 3^{um} citata; & addes ipsum ibi non loqui in rigore Theologico, sed conformiter ad sua principia Philosophica de principio materiali individuationis, in quo ferè omnes (exceptis Thomistis) nisi explicetur prout nos in Metaph. ipsum deserunt.

Ad 1^{am} Confirmationem

XLIII. Respondeo commune pronuntiatum Theologorum, quòd unio facta non fit in natura, sed in persona, sic intelligi posse, ut sit facta in persona, sive subsistentia, tanquam in termino & fine; non verò tanquam in principio & basi; idque propter auctoritatem communem modernorum Theologorum

Ad 2^{am} Confirmationem

XLIV. Respondeo nomina non semper convenire rebus; forma enim hominis est substantia, & tamen non subsistat, sed supra materiam stat; si verò ad hoc, ut dicatur substantia, sufficiat, quòd subsistet variis accidentibus sibi propriis; ad hoc, ut subsistentia talis dicatur, sufficiet, quòd sub variis accidentibus sibi propriis sistat; sed hoc non requiritur, nam (præterquam quòd Deus dicatur substantia; licet nullis accidentibus subsistet.) eo modo dicitur se habere subsistentia, quo intelligitur esse substantia, quia ut ostendit Vasquez 1^a parte q. 124. cap. 5^o. ex Hilario, Augustino, Sancto Thoma & aliis, substantia Latine, voce Græcâ est *hypostasis* sive *subsistentia*, licet usu Ecclesiastico jam accipiatur pro natura distincta à subsistentia: Adde subsistentiam in sententia Nominalium & Scoti esse duas negationes, & tamen adhuc dici subsistentiam, licet sub non sistant, ut patet.

CORROLARIA.

XLV. Colliges 1^o. ex his, prius à nobis dicta, processisse secundum hanc 2^{am} partem resolutionis, non juxta 1^{am}, quæ cum sint oppositæ; plerasque supra-positas conclusiones his annexas, problematicè defendimus: itaque hæc

XLVI. Dico 1^o. juxta hanc secundam Resolutionis partem, materiam primam rectè definiri *primum subjectum*, &c. male juxta aliam, secundam quam definiri debet *primum subjectum*, &c. omnium formarum realiter à se distinctarum; nam ipsa est forma subsistentiæ, si hæc basis sit, & non forma terminans naturam.

XLVII. Dico 2^o. juxta hanc Resolutionis partem, forma substantialis realiter à materia con-

distincta, est subjectum informationis negativè primum; juxta aliam, non est; quia præsupponit aliquod subjectum informationis, scilicet subsistentiam materiæ unitam, quæ simul naturâ se mutuo denominant & informant, ac proinde sibi mutuo prius sunt subjectum informationis.

XLVIII. Dico 3^o. juxta hanc Resolutionis partem, materia prima est pura potentia passiva sustentationis; juxta aliam non est, quia ita sustentat formas substantiales à se realiter distinctas, ut ipsa sustentetur in subsistentia.

XLIX. Dico 4^o. juxta hanc Resolutionis partem materia prima est strictè ingenerabilis & incorruptibilis, à Deo: juxta aliam verò est strictè generabilis & corruptibilis; quia præsupponit subjectum ex quo, videlicet subsistentiam.

I. Dico 5^o. juxta hanc partem Resolutionis materia prima divinitus intendi & remitti non potest; quia non habet subjectum sustentationis; juxta aliam autem non videtur repugnare intendi & remitti posse divinitus, quia (præterquam quòd habeat subjectum sustentationis, scilicet subsistentiam) non apparet, cur sicut habet in subjecto partes extensas, saltem divinitus in eo habere non possit partes intensas: Nec ut absurdum inferas animam rationalem eodem jure divinitus intendi & remitti posse; quia, (præterquam quòd, si asseratur, nullum tibi sit à ratione, aut experientia, illud impugnandi fundamentum, præsertim cum ex præmissis Resolutione præcedenti, divinitus saltem, educi possit id quod naturaliter creatur, nec anima rationalis aliter creari videatur, quàm sumptâ creatione prout opponitur educationi ex materia; & aliunde gratia sanctificans, fides, spes, charitas, supernaturaliter intendi & remitti possint, licet entitates sint spirituales;) nec Concilia, nec Patres contrarium resolvunt; imò nequidem examinant, aut tangunt; neq; per hoc aliud docemus, quàm quòd repugnare non videatur materiam & animam spirituales intendi & remitti posse divinitus; & certè equidem quis ista, aut similia, quorum repugnantiam non adferat, Deo infinite potenti neget cum communis sit Theologorum ac Philosophorum sententia, nominatim Suarez 1. p. l. 2. c. 13. n. 10. & de Angelis lib. 1. c. 15. n. 3. Vasquez 3. p. Tom. 1. Disp. 74. c. 70. n. 49. & plurimorum aliorum, quos infra citabimus, dum de potetia obedientiali agemus; id esse per Deum possibile, quod discussis ac solutis pro illius impossibilitate rationibus, non videtur divinitus repugnare; si verò aliqua repugnantia adferatur, statim cedimus.

II. Colliges 2^o. in rigore Theologico, & sistendo in auctoritate ac ratione primam partem Resolutionis hujus esse probabiliorè secundâ; quia tamen vix aliquis Scholasticorum hodie eam defendit (unde P. Poncius Disp. 18^a. de ente, ait, nemo id asserit; non viderat fortè Concilia & Divum Thomam ac Scholasticos Nominales n. 18. citatos) & quia omnes ferè Scholastici hodie secundam partem defendunt, illam ubique sequemur, nisi aliud expressè significemus. Haud putaveris tamen, auctoritatem Aristotelis contra primam partem, & omnes ex ea pendentibus problematum Resolutiones, obstare; quia allata auctoritas ex ignorantia fidei, inter fideles non est majoris virtutis, quàm infidelitas, aut ignorantia ipsa fidei; si enim Aristoteles subsistentiam à natura realiter distinctam agnovisset, de materia primâ,

prima, principis Physicis & similibus, aliter forte Philosopheris fuisset.

DUBIUM II.

An Subsistentia in creatis addat supra naturam aliquid positivum ab ipsa realiter distinctum, aut negativum tantum.

LII. Antē Resolutionem

A Suppono primo Subsistentiam esse aliquid realiter distinctum à natura, quod constat, rum ex illo Innocentii tertii, *Persona Verbi, assumptis Personam hominis*, id est, (inquit Sanctus Thomas 3^a parte, quaestione 4^a, articulo 2^o. ad 3^{um}) *impedire ne propriam personalitatem sive Subsistentiam haberet.* cum ex Damasceno 3^o. de Fide, capite 3^o. *idcirco antiqui heretici in hac materia* (puta de Incarnatione Verbi) *lapsi sunt, quia naturam & personam idem esse statuerunt: ita ferè etiam B. Vigilius Episcopus Tridentini libro 4^o. contra Eutichen. & Epiphani. in sexta Synodo art. 6^o. circa finem, his verbis, ideo heretici errant, quia nihil aliud agunt, quam ut ostendant naturam & hypostasin idem esse, quae sane inter se differre veri Ecclesia Catholica alumni cognoscunt.*

LIII. Suppono secundo rectè quidem dici posse *ly Subsistens, suppositum, personam, hypostasin, &c.* solà ratione, solo modo loquendi, &c. à suppositivo & natura suppositibili, distinguì, sic ut nihil reale aut negativum supra ista, sive supra naturam suam suppositivum praesupponentem, addant; (quomodo Nominales supra num. 18. explicuimus) essentialiter distinctum, licet negatio communicationis actualis aut aptitudinalis accidentaliter concomitetur, prout negatio identitatis cum Paulo Petrum accidentaliter concomitatur; quia totum à partibus solà ratione, solo modo loquendi, &c. ut ostendemus infra, distinguuntur; Subsistentia tamen, sive suppositivum, ut condistinguitur contra naturam suppositibilem, plusquam modo concipiendi & loquendi, prout solum ens & entitas inter se, à natura distinguuntur; ac proinde Subsistens, suppositum, Persona, hypostasis, &c. magis distinguuntur à natura, quam concretum Metaphysicum ab abstracto Metaphysico; alioqui ubicumque esset realitas abstracti, esset & concreti, ac consequenter Subsistentiae & personae: ex quo sequeretur in Christo esse secundum realitatem duas Personas, Verbi scilicet & hominis, cum in illo sit humanitas secundum totam realitatem suam, quod est Nestorianum & haereticum: deinde sequeretur Personalitatem humanam esse assumptam, nisi velis posse in creatis unum identificantium assumi, non assumpto alio (ut videtur velle Caramuèl loco dubio praecedenti citato) sicut juxta fidem in increatis unum identificantium, scilicet Personalitas Verbi, assumit, non assumente naturam divinam, quod est absurdum, ut saepe dictum est; & sicut naturam Divinam & Verbi Personalitatem esse in Christo realiter, admittere oportet; ita & naturam humanam, & Personalitatem naturae humanae, esse in Christo realiter, tibi admittendum esset, quod statim rejectum est ut Nestorianum & haereticum.

LIV. Suppono 3^o. supposita veritate expositionis, quam super sententiâ Nominalium & nonnullorum aliorum num. 18. fecimus, circa hoc Dubium, tres esse valde celebres sententias: 1^a.

iporum de Subsistentia positiva basi. 2^a. Scotistarum post Scotum in 3. q. 1^a. communiter ac nominatim Fabri, Meurise, Ponci, &c. asserentium Subsistentiam duas tantum esse negationes, actualis scilicet, & aptitudinalis naturalis existentiae seu dependentiae in uniri ab alio supposito; ita scilicet ut esse Subsistens, suppositum aut personam creatam, nihil aliud sit, quam nec actu existere, seu dependere in uniri, nec exigere existere, seu dependere in uniri ab alio supposito, 3^a. Realium, Suares, Huntadi, Lugo, Oviedi, Arriaga, Telles, &c. post Thomistas, Capreol. Cajetan. Bannez, Ioan. à S. Thoma & nostros Complutenses, asserentium esse entitatem aliquam positivam naturae superadditam. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

Lv. **D**ico 1^o. omnino probabilis est sententia Scotistarum post Scotum, asserentium Subsistentiam creatam duas tantum esse negationes dictas actualis & aptitudinalis dependentiae naturalis, &c.

Lvi. Probatur 1^o. autoritate omnium ferè antiquorum, quorum aliqui sic negant sententiam eorum, qui docent Subsistentiam esse entitatem aliquam positivam per modum termini naturae superadditam, ut eam censuram notent Gabriel, enim ait salvari non posse; Almainus, defendi vix posse; Guillelmus à Rubione, esse irrationabilem: de mente autem divi Thomae omnino dubium esse, ostendunt Wadingus Tract. de Incarn. Disp. 4^a. dub. 2^o. & Tiphanius; imò pro nobis aperte facit 3^a parte q. 4^a. art. 2^o. ad 2^{um} ubi docet, dicendum quod naturae assumptae non deest propria personalitas, propter defectum alicujus, quod ad perfectionem naturae humanae pertinet (utique quia censet solas illas negationes, quae proprie non sunt perfectio, deficere) sed propter additionem alicujus, quod est supra naturam humanam, quod est unio ad Divinam personam, item in 3. dist. 6. q. 1. art. 2. ad 5. ergo, &c.

Lvii. Probatur 2^o. ex Damaso Papa ad Paulinum Episcopum Antiochenum Conciliorum tom. 1^o. *Conspicendus Dei Filius humanam suscepisse corpus, animam, sensum, id est, integrum Adamum, & ut expressius dicam totum veterem nostrum sine peccato hominem: coincidit Damascenus lib. 3^o. de fide cap. 6^o. referente D. Caramuèl lib. 3^o. de Subsistentia; ubi asserit humanitatem assumptam esse à Verbo cum omni entitate positiva illi debita, Verbum assumpsisse totum, quod in homine plantavit, &c. sed si Subsistentia esset entitas aliqua positiva naturae humanae superaddita, Dei Filius non assumpsisset integrum Adamum; totum veterem nostrum hominem, &c. humanitatem, &c. totum quod in homine plantavit, &c. quia Subsistentiam non assumpsit, ergo, &c.*

Lviii. Probatur 3^o. sancti Patres, tam Graeci, quam Latini, frequentissimè dicunt Verbum assumpsisse hominem, ut bene monstrat Ludovicus Vives, in lib. 9^{um} August. de Civitate Dei, ubi irridet Scholasticos Theologos, quod illam locutionem non admittant: Adde & illam usurpari in Conciliis, Alexandrino, Ephesino, Toletano 1^o. 6^o. & 11^o. Francofordiensi, &c. quas citat Delugo de Incarn. Disp. 13^a. sect. 2^a. item Ambrosius & August. in hymno Te Deum, dicunt *tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginitatem uterum*. Athanasius in symbolo, *Deum & hominem, unum esse Christum, &c.* sed haec locutiones, ita explicari debent, ut assum-

assumpserit totum, quod est in homine positivum, nisi ex eo sequatur absurdum in fide, aut contra rationem evidentem, quod hic non sequitur, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c. Probatur minor, quia aliàs non assumpisset hominem, sed partem positivam dumtaxat hominis, ergo, &c.

LIX. Confirmatur ratione; non sunt multiplicanda entia sine necessitate, quod alioqui fieret; nec apparet major ratio dicendi subsistentiam esse realem positivam entitatem, quam tenebras esse talem entitatem, quod ultimum probo; quia, si quæ major ratio apparet, illa, vel esset Physica, vel Theologica; non Physica, ut communiter admittitur, quia, nisi fides doceret *Verbum esse incarnatum; unicam esse in Christo Personam, &c.* subsistentia à natura realiter distincta non reciperetur, ergo, &c. non etiam Theologica, quia Scripturæ & Patrum locutiones de Mylerio Incarnationis & Christo sufficienter salvantur per allatas duas negationes, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

LX. Objicies tamen 1^o, in hac sententia difficulter explicantur Sanctorum Patrum locutiones, ut v.g. quòd *Personalitas Verbi suppleverit personalitatem humanitatis Christi*; nam hæc sic explicari debet, ut personalitas Verbi tribuerit humanitati Christi effectum formalem, quem negationes actualis & aptitudinalis existentiæ, &c. illi tribuebant; quod magis intelligi non potest, 1^o quàm, quòd ens positivum sit negationes; 2^o quàm, quòd non ens tribuat effectum formalem entis, &c. Item quòd *Verbum assumpserit naturam humanam, & non personam*; nam hæc sic explicari debent, Verbum assumpsit naturam humanam, & non reliquit illam in assumptam; vel sic, Verbum fecit naturam humanam à se dependentem per unionem, & non reliquit illam à se independentem per unionem; quæ propositiones sunt identicæ & ridiculæ; neque erat necessarium ex omnibus Orbis partibus Episcopos ad hoc definiendum congregare, neque tam absurdi erant Nestorius, & sententiæ ipsius Patroni, ut admittis à primâ locutione, cum aperta in terminis contradictione secundam negarent, ergo, &c. Pro solutione hujus argumenti, quod est Achilles adversariorum, & semper vehementer Scotistas torfit.

LXI. Nota 1^o Eutichen, olim Abbatem Constantinopolitanum, non distinxisse subsistentiam seu personalitatem à natura; ac ideo, cum fide Divinâ crederet in Christo esse unicam Personam, docuisse naturam Divinam & humanam per unionem confusivam, & commixtivam earum in tertiam, factas in Christo unicam, aut saltem per unionem conversivam & commutativam, naturam humanam conversam & commutatam in Divinam; ne alioqui admittendo duas naturas, admittere deberet, contra fidem, duas in Christo Personas.

LXII. Nota 2^o, Nestorium, olim Patriarcham Constantinopolitanum, similiter non distinxisse subsistentiam seu personalitatem à natura, ac ideo cum fide Divinâ crederet in Christo duas esse naturas, docuisse in Christo duas esse Personas, per unionem tantum moralem & accidentalem operationis, affectus, honorificationis, &c. inter se unitas, ne videlicet admittendo unionem formalem substantialem & unificam, confusivam aut conversivam, ut ante n. 61. admittere deberet unicam esse in Christo Personam, & consequenter cum Eutiche unicam esse naturam.

LXIII. Nota 3^o, Concilia ac S. Patres hæc contra R. P. Francisci Bona Spei Physica.

utrumque, Eutichen scilicet & Nestorium, agere, ac intendere utriusque errores confutare, præcisè probando subsistentiam esse aliquid realiter distinctum à natura, sive negativum, sive positivum sit, à quibus abstraxerunt; quia, cum Eutiches & Nestorius hæc non tangere, nec fuit necessarium Conciliis & Patribus hæc tangere, ut eos confutarent: unde ex citatis Conciliis & Patribus nihil contra nostram Resolutionem colligi potest. His tamen notatis, ad argumentum

LXIV. Resp. 1^o, primam locutionem, scilicet *Personalitas Verbi supplevit personalitatem humanitatis Christi*, supponi esse ex Patribus, nullum tamen esse, qui eâ clarè utatur: unde fallitur Medina dicens istam locutionem esse de fide, tradi à Patribus, Conciliis & Theologis, ite & Telles p. 3a. in Metaph. Disp. 55^a, asserens Concilia & Patres communiter dicere *Verbū Divinum supplere in humanitate proprium suppositum*.

LXV. Resp. 2^o, gratis dato, quòd prima ista locutio sit ex Patribus, illam debere his modis explicari: *Personalitas Verbi fecit personam, uti ille negationes faciebant; quo sensu dicitur accidens supplere vices substantiæ, creatura vices Dei: vel, Humanitati Christi sub personalitate Verbi, æquè bene, vel meliùs fuit, quàm sub duabus suis negationibus.*

Ad 2^m verò locutionem, scilicet; *Verbum assumpsit naturam humanam, & non personam.*

LXVI. Respondeo 1^o, hunc esse sensum, *Verbum assumpsit naturam humanam, & non id, quod persona superaddit realiter nature, sive illud sit positivum, sive negativum; nec debet esse alius sensus, ut constat ex notabili 3^o.*

LXVII. Respondeo 2^o, gratis supposito, quòd Concilia & Patres per personam, sive per personalitatem intellexerint duas dictas negationes, adhuc ipsorum definitionem fuisse perutilem & necessariam; quia non habet hunc sensum præcisè, *Verbum assumpsit naturam humanam, non relinquendo illam non assumptam; non unitam, &c.* quomodo esset ridicula & inutilis, ut rectè objicitur; sed hunc, *Verbum assumpsit naturam humanam, non relinquendo illam non assumptam, propter confusionem, commixtionem aut conversionem in naturam tertiam, aut Verbi (ut voluit Eutiches); sed illam integram retinens: vel hunc, Verbum assumpsit naturam humanam, non relinquendo illam non unitam formaliter, & in esse entis unius per se (ut voluit Nestorius);* alioqui enim ipsorum definitio, non tam fuisset de re controversa, & contra Scripturam, quàm de non controversa & conformi Scripturæ, vel saltem non difformi, uti est subsistentia negativa; ac proinde definitio illa non fuisset satis prudens, & rationabilis.

LXVIII. Objicies 2^o, ex D. Caramuèle lib. 3^o. de subsistentia; Deitas non est suppositum, ut per se patet; nihilominus natura illa Divina habet independentias duas dictas, actualem & aptitudinalem; ergo istæ duæ independentiæ, sive negationes dependentiæ, non sufficiunt, ut constituent suppositum.

LXIX. Resp. in primis non bene argumentari à Personalitate Divina ad creatam, sicut non bene argumentamur ab indistinctione reali Personalitatis Divinæ à natura, ad indistinctionem personalitatis creatæ à natura: deinde falsum est naturam Divinam habere independentiam actualem, quia (quidquid dixerint alii) dependentia nihil aliud est, quàm necessaria conjunctio, ita ut unum non possit existere sine alio, quâ strictiorè habet natura Divina ad suppositum Divinum, eū sit ei identificata realiter, quâ natura crea-

ta ad humanum: denique esto non habeat dependentiam, habet saltem a^{ct}ualem unionem & a^{ct}ualem communicationem, & à fortiori aptitudinalem cum supposito Divino, cum quo non stat esse personæ, sive negationes ad Personalitatem requiritæ, ut patet.

LXX. Respondeo 2^o, esse disparitatem, eò quòd scilicet Deus sit substantia infinite completa substantialiter, ac proinde, utpote incomplebilis positivè substantialiter, nullam dicens negationem, quæ per positivum complementum substantiale tolli possit, uti potest in natura creata, ut constat per oppositum, nempe, quòd sit positivè complebilis substantialiter: tum quia etiam unio hypostatica facta est ad subsistentiam Verbi; non potest autem esse facta ad aliquid negativum; tum quia divinitas non potest esse in tribus personis (diceret enim negationem a^{ct}ualem & aptitudinalem existentia, dependentia, &c. ab alio tamquam supposito) quod est hæreticum: creata autem natura est finite tantum completa substantialiter, ac proinde non aliter, quam quia non exigit ulterius complementum substantiale positivum, licet id habere possit secundum obedientiam, sive secundum potentiam obedientialem, (ex quo fit, illam non esse ita completam, quin divinitus per Divinam subsistentiam ulterius compleri possit) quod salvatur sufficienter per allatas negationes.

LXXI. Instabis ex eodem: conceptus subsistentia, non secus ac substantia, debet esse univocus creatæ & increatæ; sed increatæ est positivus, ergo & creatæ.

LXXII. Respondeo negando majorem; quia intelligi non potest, substantiam consistere in negatione, bene autem subsistentiam creatam, inter quæ & Divinam est lata disparitas, ut statim vidimus.

LXXIII. Urgebis ex De Lugo de Incarn. Disp. 12^a. Sect. 2^a: si subsistentia supra naturam adderet tantum dictas negationes, vera esset hæc propositio, *Humanitas est homo*, non secus ac hæc, *Petrus est cæcus*; sed hoc dici non potest, ergo, &c. minor patet, quia sequeretur Christum assumpsisse Personam humanam: probatur major, quia negatio non prædicatur in recto, sed in obliquo; persona enim est natura habens negationes, &c. cæcus, Petrus habens negationem, &c. ergo, &c.

LXXIV. Respondeo distinguendo assumptum, vera esset hæc propositio *humanitas est homo*, si *ly homo* sumatur præcisè secundum quod dicit in recto, & prout subest verificationi, concedo assumptum; nam cum homo ut persona (quomodo ibi sumitur) dicat naturam in recto, ut constat ex dictis in Præparamento Logico Disp. 4. Dub. 2^o. illius est hic sensus, *humanitas est humanitas*; nec ullum est absurdum dicere Verbum assumpsisse personam, sive hominem præcisè secundum quod dicit in recto, & prout subest verificationi de humanitate: secundum totum quod dicit in recto & in obliquo, & prout subest suppositioni, nego assumptum; nam ut sic allata propositio est similis his, *Paris Physica est totum Physicum; abstractum Physicum est concretum Physicum*; quæ sunt aperte falsa. Ex his

LXXV. Colliges personam in creatis esse ens mixtum ex ente, & non ente, dicens in recto ens, sive naturam; subsistentiam, sive duas negationes in obliquo; cum enim Boëtius lib. de duabus naturis definit personam, *Persona est nature rationalis individua substantia*, sensus est, *Persona est nature rationalis sub-*

stantia alius suppositis non communicata, aut communicabilis naturaliter, non unita aut unibilis naturaliter, ab illis separata, &c. unde Richardus 4^o. de Trinit. cap. 22^o. sic illam exponit, *Persona est intellectualis nature incommunicabilis existentia.*

LXXVI. Objicies, saltem ex Resolutione ista sequitur naturam esse distinctam, & naturam esse subsistentem, esse omnino idem: sed hoc est absurdum, ergo, &c. Probatur minor, quia, quandoquidem Verbum assumpsit naturam distinctam à se, assumpsisset naturam subsistentem, ac proinde in Christo fuissent duæ personæ quod est Nestorianum; major autem clarè sequitur ex dictis in Logica Tract. 1^o. Disp. 2^a. de Distinct. Dub. 1^o, ubi probatum est distinctionem esse negationem identitatis, ac proinde & communicabilitatis ac communicationis cum alio, in quo subsistentiam collocamus, ergo, &c.

LXXVII. Resp. negando assumptum, quia distinctio dicit negationem communicabilitatis & communicationis alteri, tamquam eidem; subsistentia verò, negationem communicabilitatis & communicationis alteri, tamquam supposito positivo, id est, negationem unibilitatis & unionis subsistentia positivæ, ac proinde tamquam alteri realiter distincto, quæ sunt valde diversa.

LXXVIII. Instabis, si natura subsistens dicat illam negationem unibilitatis & unionis, quomodo igitur Verbum nostram naturam assumere potuit? quomodo quælibet natura jam subsistens, est personalitati Verbi unibilis? id enim contradictoriè repugnat, sicut non unibile & unibile, ergo, &c.

LXXIX. Resp. naturam subsistentem per negationes illas, esse unibilem subsistentia positivæ ut naturam, minime verò ut subsistentem, quod tantum contradictoriè repugnat; sic enim esset unibilis, ut patet, & non esset propter dictas negationes, quæ per a^{ct}ualem unionem ad subsistentiam positivam tolluntur, nec per aliud tolli possunt ut patet; ac proinde per solam Divinam subsistentiam de facto, vel per solas positivas possibles, licet de facto non existant juxta hanc sententiam, nec absolute necessariæ sint ad explicandam naturam secundum esse subsistens.

LXXX. Urgebis ex P. Comptono Disput. 8^a. Sect. 2^a. aptitudo naturalis ad dependendum ab altero tamquam à supposito, est impossibilis; ergo negatio illius est negatio rei impossibilis & Chymærica.

LXXXI. Respondeo distinguendo assumptum, aptitudo naturalis ad dependendum ab altero, tamquam à supposito, stante illa negatione, est impossibilis, concedo assumptum; illà ablata, nego assumptum; quòd autem sit auferibilis, licet negatio identitatis inter duo distincta auferibilis non sit, patet; quia de facto ablata est in humana natura Christi per unionem ad Verbum: cur autem hæc sit auferibilis, non autem illa identitatis negatio, aliam solidiorem hæc rationem non video, nempe quòd non detur positiva & negativa distinctio, sicut datur negativa & positiva, saltem possibilis, subsistentia, quæ negativæ opponatur; addi tamen potest negativam hanc tolli posse, clarè erui ex Mystero SS^{mæ}. Verbi Incarnationis; illam autem tolli non posse, etiam per identitatem, quæ à Principio non fuit ex communi Philosophorum suffragio; eò quòd scilicet, semel realiter distincta nullà potentia fieri possint realiter eadem, sive indistincta realiter.

RESOLUTIO II.

LXXXII. Dico 2^o, Probabilis est etiam opposita Sententia Thomistarum, & Patrum Societatis, communis docentium, subsistentiam creatam esse entitatem positivam à natura realiter distinctam.

LXXXIII. Probatur 1^o, natura in esse naturæ compleatur per aliquid positivum; ergo & in esse personæ, sive supposito: antecedens apud omnes certum est: probatur consequentia, quia cum persona Divina sit in esse personæ completa per aliquid positivum, non secus ac natura in esse naturæ, servanda est ea proportio, quantum sine absurdo (quod hic nullum est) fieri potest, ergo, &c.

LXXXIV. Dices cum P. Poncio parte 3^a, Disp. 18^a, n. 103^o, non sunt multiplicanda entia sine necessitate; sed nulla prorsus est necessitas ponendi aliquid positivum, distinctum realiter à natura singulari, pro personalitate, ergo, &c. minor probatur quia non est assignabilis ullus effectus positivus personalitatis istius positivæ, ergo, &c.

LXXXV. Respondeo 1^o, negando minorem; quia, præterquam quòd major necessitas statim apparebit, hæc sufficit, nempe ut servetur dicta proportio, quantum sine absurdo servari potest; effectus autem positivus personalitatis est, esse basim aut terminum positivum ultimò complementem naturam in esse personæ.

LXXXVI. Respondeo 2^o, retorquendo argumentum in naturam completam in esse naturæ; illa non est completa in esse naturæ per negationem communicationis & communicabilitatis alteri tamquam naturæ; ergo nec est completa in esse personæ per negationem communicationis & communicabilitatis alteri tamquam personæ aut supposito.

LXXXVII. Nec Respondeas naturam esse completam in esse naturæ per dictam negationem formaliter, & fundamentaliter per formam substantialem quæ necessaria est, ut sit prima radix proprietatum & operationum compositi; in esse verò personæ, esse completam formaliter per dictam negationem, & fundamentaliter per seipsam sine alio positivo; quia (in quibus) non est necessarium aliud fundamentum hujus dictæ negationis. Contra, licet non sit necessarium, ut prima radix operationum & proprietatum compositi; est tamen necessarium ut sit terminus naturam positivè in esse personæ complens, & ut sic servetur proportio complementi positivi naturæ & personæ, quantum sine absurdo potest: deinde etiam ad aliud necessarium est, ut statim patebit.

LXXXVIII. Probatur 2^o, quia sic clarius explicantur locutiones Conciliorum & Sanctorum Patrum supra n. 60. allatæ; cum enim dicunt, *Verbum naturam humanam assumpsit, & non personam*, sensus est, *assumpsit humanitatem, & non formam illam positivam, per quam persona constituitur*, quod clarius longè est, quam explicatio supra allata, ergo, &c.

LXXXIX. Nec dici potest, Sanctos Patres non agnovisse similem formam. Quia similes locutiones, attentà fide ipsorum, quæ cognoverunt in Divinis personalitates esse positivas, & de negativis pro creatis nihil expresserunt, nec etiam quidquam sequatur intellectu difficile, si quoad hoc à Divinis ad creatam personalitatem positivam trahatur consequentia, apertè contrarium convincunt.

LXXXX. Confirmatur 1^o, in sententia Scoti & a-

liorum docentium subsistentiam consistere in negativo, difficulter assignatur effectus formalis subsistentiæ; in hac verò clarè, ergo, &c. Antecedens pro 2^a parte patet ex Resolut. 4^a. Dubii primi, dicendo, quòd sit basis, vel terminus &c. qui effectus tam clarus est, quantum ratio nostra, adjuncta lumine fidei, de subsistentia cognoscit: pro reliquo autem captivandus intellectus in obsequium fidei, quæ, cum in præsentis puncto sit valde obscura, pro effectû formali subsistentiæ creatæ, sufficit dicere, illam tribuere ferè eundem effectum proportionatè, quem tribuit Divina divinitati.

LXXXXI. Probatur antecedens pro 1^a parte, quia dici non potest cum P. Poncio loco citato numer. 37^o, illum esse incommunicabilitatem, à qua persona habet, quòd non possit communicari ulli distincto, à quo compleatur: vel enim personam accipit secundum naturam ut personatam specificativè, & secundum quod natura, vel ut personatam reduplicativè, & secundum quod personalitas?

LXXXXII. Si 1^{um}, per *illum distinctum* intelligit, vel naturam ut condistinctam à supposito, vel suppositum? per illud *distinctum* non potest intelligere naturam, &c. quia natura ut specificativè personata, non habet ab illis negationibus (quidquid sit de aliis, in quibus consistit formalis distinctio unius naturæ ab alia, ut Log. Tract. 1^o, Disp. 1^a, Dub. 1^o, probatum est) incommunicabilitatem ulli naturæ, ut condistinctæ à supposito; sed à seipsa & intrinsicis suis; quia natura non est naturæ communicabilis, forma formæ, subjectum subjecto: igitur intelligit suppositum, & incidit in sententiam quam ibidem impugnat, & statim impugnabitur.

LXXXXIII. Si 2^{um}: Item, per *illum distinctum* intelligit, vel naturam ut condistinctam à supposito, vel suppositum? per illud *distinctum* non potest intelligere naturam, &c. quia personalitas est illi communicabilis, ut per se patet: igitur intelligit suppositum, &, præterquam quòd incidat in sententiam, quam ipse impugnat, ut dictum est, ipsius sententiæ erit hic sensus, *Effectus formalis personalitatis est reddere personalitatem, sive seipsam, incommunicabilem personæ seu supposito, qui effectus formalis est æque ignotus ac ipsa forma, & idem per idem ejusdem rationis explicat, quod est vitiosum: deinde hic effectus non est proprius subsistentiæ; nam omni formæ & subjecto commune est dare incommunicabilitatem per modum actus & potentiæ, cum ente ejusdem secum rationis, ut per omnia entia discurrenti patebit.*

LXXXXIV. Subsumo, sed nihil adferri potest aliud, in quo consistat effectus formalis subsistentiæ negativæ. Nec sufficit, juxta dicta supra Dub. 1^o. Resolutione 3^a, dicere effectum formalem subsistentiæ negativæ, consistere in incommunicabilitate naturali alteri supposito positivo; quia, licet hic effectus sit paulò notior ipsa formâ, & non explicet idem per idem ejusdem rationis, negativum scilicet per negativum, sed per positivum; nec fit communis omni subjecto & formæ, quia aliud est negationem dare incommunicabilitatem cum positivo, aliud positivum cum positivo ejusdem secum rationis; tamen, cum explicari non possit, nisi per ordinem ab subsistentiam positivam, cujus explicatio ulterius quærenda erit, si in priori sententia fistamus, conformius rationi videtur ad hunc positivam sine multiplicatione explicationum, quàm negativa adstruatur cum illa adhuc satis obscura.

LXXXV. Confirmatur 2^o, Subsistentia dicitur ab eo, quod sub sistat; suppositalitas ab eo, quod sub ponatur; sed illud quod subsistit & supponitur, debet esse positivum, utpote basis entium positivorum substantialium, & non negativorum tantum, ut patet, ergo, &c.

LXXXVI. Confirmatur 3^o, Subsistentia Verbi complet substantialiter naturam humanam; ergo est substantialiter incompleta secundum esse personæ, ac proinde exigit Subsistentiam positivam, quâ substantialiter compleatur secundum esse personæ.

LXXXVII. Respondebis fortè distinguendo consequens; ergo est substantialiter incompleta secundum potentiam obedientialem, concedes consequentiam; quia, inquit, non repugnat illam divinitus compleri per Subsistentiam positivam, uti fides factum docet: secundum potentiam naturalem, negabis consequentiam; quia ut sic est substantialiter completa, in quantum non exigit compleri per Subsistentiam positivam, sed illi satis sit, utpote cum sit individua & non communicata substantia, habere non communicationem & non communicabilitatem naturalem, vel similes negationes. Sed

LXXXVIII. Contra, istud quidem responsum est probabile, juxta dicta in prima Resol. verum, cum Subsistentia positiva Verbi ponatur loco Subsistentiæ humanæ, quæ humanitatem terminat secundum potentiam naturalem, videtur dicendum, naturam esse incompletam substantialiter secundum potentiam naturalem, & non tantum secundum potentiam obedientialem; ac proinde Subsistentiam Divinam poni loco humanæ positivæ. Ex his

LXXXIX. Patet Responso ad Confirmationem Resolutionis præcedentis: solum igitur

c. Objicies Damascum, Damascenum & Patres Græcos ac Latinos ibidem probatione 3^a citatos.

c. I. Respondeo omnes istos Patres sumere concretum hominis pro abstracto humanitatis; & cum Damascenus asserit, *Verbum assumpsisse humanitatem cum omni entitate positiva illi debita*, agit de entitate substantiali humanitati debita, ut humanitas sit; non verò ut sit homo & persona: cum verò dicit, *Verbum assumpsisse totum, quod in homine plantavit*; etiam sumitur concretum pro abstracto; licet dici possit assumendo humanitatem, assumpsisse totum, quod in homine plantavit; quia in illo Subsistentiam propriam non plantavit, sed suâ prævenit; vel ita intelligi debet, ut assumpsit totum, quod in homine erat assumptibile; Subsistentia verò non erat assumptibilis.

D V B I V M I I I.

Quomodo Subsistentia Positiva distinguatur à natura.

c. II. Distingui modaliter tantum, affirmant Suares, Lorca, Connimbricenses, Valquez, Lugo de Incar. Disp. 12. & plures alii recentiores, quos tacito nomine citat Albertinus de Prædicamento Substantiæ Disput. 3^a. ubi illos appellat doctissimos: Physicè verò distingui, Cajetanus, Ferrara, Bannez, Albertinus, Medina, Hurtadus, Arriaga, & è recentioribus Thomistis Herrera & Pantula. P. Ovidius autem pro alterutra parte nihil determinat, sed convictus utriusque partis rationibus, utramque partem dicit probabilem, quod tamen postmodum retractat, ut infra videbimus: P. Comptonus verò utramque partem censet probabilem, hanc tamen probabiliorem,

R E S O L U T I O.

c. III. Dico; Subsistentia positiva distinguitur Physicè à natura, ac proinde est res, & non modus tantum.

c. IV. Probat P. Arriaga in simili Resolutione de ubi, Disp. 14^a. Physicæ: non est major ratio, cur albedo, nigredo, actus videndi, amandi, &c. sint entia realia, & non modi, quàm cur non etiam ubicatio, Subsistentia, &c. sint entia realia, & non modi, ergo, &c.

c. V. Propter hanc rationem ait P. Ovidius, *Profectò nullam rationem invenio, qua efficaciter alteram Resolutionis partem suadeat. Sed*

c. VI. Contra sic argumentor: non est major ratio cur actio, unio, &c. sint modi, & non entia realia, quàm cur non etiam ubicatio, Subsistentia, &c. sint modi, & non entia realia, sive res, prout modis opponuntur.

c. VII. Respondet P. Arriaga negando antecedens: actio enim (inquit) ideo est modus, quia si non esset, daretur processus in infinitum; deberet enim prima per unionem distinctam uniri, & hæc fieri per actionem distinctam, & hæc iterum uniri per unionem distinctam, & sic in infinitum; at etiam si sessio (& idem est de Subsistentia) non sit modus, non sequitur processus in infinitum, sed solum inferitur debere uniri subjecto per unionem realiter à se distinctam, sicut albedo unitur unionem realiter à se distinctam Petro. Sed

c. VIII. Contra; rogo cur ex eo, quod albedo, sessio, Subsistentia, &c. non sint modi, aut non uniantur seipsis, non sequatur processus in infinitum? & sequatur ex eo, quod actio non sit modus, aut non uniantur seipsis?

c. IX. Respondebis, quia in albedine, sessione, Subsistentia, &c. sinitur in unionem realiter distinctam; non verò in actionem, &c. Sed

c. X. Contra 1^o, etiam si actio non sit modus, sinitur in unionem, si dicatur unionem fieri seipsis, prout infra dicemus fieri seipsis.

c. XI. Contra 2^o, si ego contendam, albedinem, Sessionem, Subsistentiam, &c. esse suiipsius unionem, ac proinde modos, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: & tu contendas non esse modos, quia ex eo, quod non sint suiipsius unio, sed uniantur per unionem realiter à se distinctam, Non sequitur processus in infinitum. Hæc tua ratio nulla est, quia facile admittam processum in infinitum, si mihi admittas posse multiplicari entia sine necessitate; unde tibi probandum prius est, quod multiplicentur entia sine necessitate, casu quo dicantur non esse suiipsius unio: verum hoc non probas per hoc, quod prætexes, quod non detur processus in infinitum, si non sint suiipsius unio; nam si duo entia, videlicet unio & unionis actio, in tua sententia, possint multiplicari sine necessitate, quidni & infinita, actio actionis, unio unionis, &c.

c. XII. Contra 3^o, si ego contendam actionem, unionem, &c. non esse suiipsius unionem; ac proinde non esse modos, quia, Non sunt alliganda entia essentialiter suis Principiis, aut subjectis determinatis, sine necessitate; & tu contendas esse necessitatem, quia ex eo, quod non sint suiipsius unio, sed uniantur per realiter distinctam unionem, Sequitur processus in infinitum, quem etiam agnoscit P. Ovidius loco citato: hæc tua similiter ratio nulla est; quia falsum est sequi processum in infinitum, si dicatur actio uniri per unionem realiter distinctam, quæ fiat

fiat seipsa, ut ante dictum est; & idem est de unione, si dicatur uniri per unionem realiter à se distinctam, quæ fiat seipsa; in hac enim sistetur, in his autem nullum est absurdum, positâ veritate allati Principii (quod ibi non refellis) de non alligandis, &c.

CXIII. Dices albedo est seipsa essentialiter albedo, & non per albedinem realiter à se distinctam, & sic de aliis; ergo & unio est seipsa essentialiter unio, & non per unionem à se realiter distinctam.

CXIV. Respondeo concedendo totum, & tantum dico, quod si dicatur unionem uniri per unionem realiter distinctam, quæ fiat seipsa, propter hoc Principium, *Non sunt entia essentialiter alliganda, &c. sine necessitate*; non sequi processum in infinitum; ac proinde non debere dici essentialiter seipsa uniri, ne sequatur processus in infinitum, quod contendit P. Arriaga; sed propter rationem, quam statim adferemus. Ex his

CXV. Confirmatur tota impugnatio: dicis albedinem non uniri seipsa, ac proinde non esse modum, *Quia ex eo, quod non uniantur seipsa, &c. non sequitur processus in infinitum*; è contra dicis actionem, unionem, &c. uniri seipsis, ac proinde esse modos, *Quia ex eo, quod non uniantur seipsis, ac proinde non sint modi, sequitur processus in infinitum*: verum ego contendo albedinem uniri seipsa, ac proinde esse modum, *Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate*; ex quo contra te infero, quod, si albedo, fessio, &c. non uniantur seipsis, sequatur processus in infinitum: deinde contendo actionem, unionem, &c. non uniri seipsis, ac proinde non esse modos, *Quia non sunt entia alliganda essentialiter determinatis Principiis, & subjectis sine necessitate*; ex quo iterum contra te infero, quod, si actio, unio, &c. non uniantur seipsis, non sequatur processus in infinitum: hic conceptus est à priori, & contra nihil probas; tuus est à posteriori, qui priorem præsupponit. Itaque aliter

CXVI. Probo Resolutionem, quidquid non habet pro effectu suo formali specifico unire formaliter duo extrema inter se, est res, & non modus; sed omne ens distinctum ab unione & actione eductiva, est tale, ergo, &c. minor præcisè probabitur Disput. 6^a. & patet ab entium enumeratione; quia nullum est, dicis exceptis, quod pro suo effectu formali habeat unire formaliter duo extrema inter se; siquidem actio non eductiva facit formaliter creans, fessio sedens, albedo album, subsistentia subsistens, &c. Probatur major, quia de illis pariformiter loquendum; ac proinde, vel dicendum, omnia illa esse modos, quod de quantitate (secundum eos, qui admittunt eam à materia realiter distingui) albedine & aliis accidentibus Eucharisticis (in nostri sententia) nullus admittere potest: vel dicendum, omnia illa esse res; quia cum omnia illa habeant effectum formalem specificum æque distinctum ab effectu formali unionis, nec appareat ulla ratio aliter Philosophandi de his, quam de illis, dicendum, omnia illa esse res, & non modos, ergo, &c.

CXVII. Confirmatur, probabile est subsistentiam esse basim, & subjectum materiæ ex præmissis; sed hoc dato, non potest esse modus, ergo, &c.

CXVIII. Objicies 1^o, ex P. Oviedo post alios: *Cuiusque entia danda est minor distinctio, que dari potest; neque aliqua danda est, absque positiva ratione, sive*

qua sufficienter explicari possit; sed præsentia, subsistentia, &c. sufficienter explicantur cum distinctione modali, neque positivo aliquo argumento cogimur asserere posse à suis fundamentis separari, & illarum aliqua distingui à proprio subiecto, ut rem à re; ergo dicendum non est ita distingui, sed tantum ut modum à re, ergo, &c.

CXIX. Confirmabis ex eodem; imperfectio subsistentiæ, præsentia, &c. nonnullam præbet conjecturam, ad affirmandum modos esse, & non res, ergo, &c. His addit P. Oviedus, *Vt communi sententia omnium fere Doctorum asserentium præsentiam & subsistentiam, modos esse, & non res, subscribam; rationi suæ prædictæ supersedeo, & assero præsentiam & subsistentiam modos esse, & non res, &c.*

CXX. Respondeo 1^o, reterquendo Argumentum; sicut enim dicitur, *Cuiusque entia danda est minor distinctio, que dari potest*, propter hoc axioma, *Non sunt multiplicanda entia sine necessitate*, in quo id fundatur; dico ego è contra, *Cuiusque entia danda est major distinctio, que dari potest*, propter hoc axioma, *Non sunt alliganda entia essentialiter determinatis Principiis, vel subjectis, sine necessitate*, in quo id fundatur: ex utroque enim sequuntur æque magna absurda; ac imprimis, ex multiplicatione entium sine necessitate sequitur, actionem fieri per actionem distinctam; unionem uniri per unionem distinctam; albedinem esse albam ut quo, per aliam distinctam, & hanc per aliam, & sic in infinitum, quæ sunt absurda; nec minora sequuntur ex alligatione entium, &c. sine necessitate; quia sequitur omnes formas substantiales & Physicas accidentales uniri seipsis suis subjectis, ac proinde esse modos: Item ipsas & cætera entia fieri seipsis, ac proinde non esse indifferentia ut à Deo solo, vel Deo & creatura simul pendeant, &c. quæ sunt absurda.

CXXI. Respondeo 2^o, in forma, admissâ majore, negando minorem; quia cum præsentia, subsistentia, &c. non minus habeant effectus formales específicos, ab effectu formali unionis distinctos, quam formæ substantiales, accidentales aliæ solidæ, &c. explicari debent ut hæc, nec aliter sufficienter explicantur; & hæc ratio est positivum argumentum, quo cogimur adstruere illas posse à suis fundamentis realiter separari, ac proinde esse res, & non modos, haud secus quam formæ materiales substantiales, aut accidentales quascumque.

Ad Confirmationem

CXXII. Respondeo negando assumptum; non enim video, quænam sit major imperfectio unionis (præsertim substantialis) subsistentiæ, &c. quam quantitatis, quatuor primarum qualitatium, &c. quas facit P. Oviedus res, & non modos.

CXXIII. Objicies 2^o, ex P. Telles p. 3^a. in Metaph. Disp. 5^a. (ubi docet, impossibile esse substantiam creatam connaturaliter subsistentem, per subsistentiam realiter Physicè à se distinctam): dari non potest accidens, cujus inhærentia ab eo realiter Physicè distinguatur, siquidem inhærentia est actualis dependentia; ergo nec substantia, cujus subsistentia ab ea realiter Physicè distinguatur.

CXXIV. Respondeo, transeat antecedens; nego consequentiam; est enim disparitas, quod inhærentia sit actio eductiva, quæ in omnium sententia est modus, & non res; subsistentia verò non est actio, sed actionis terminus, ab eaque realiter distinctus, non secus ac quantitas, albedo, &c.

D V B I V M I V.

An anima rationalis, materia prima, partes integrantes, & modi substantiales habeant substantiam.

R E S O L U T I O I.

Iuxta sententiam admittentem Substantiam positivam.

1^a Pars Problematis.

CXXV. **D**ico 1^o, anima rationalis, & materia prima, tam in compositione, quam extra, habent Substantiam partialem sibi propriam: est Paludani in 3. Dist. 2. q. 1. Ferrar. 2. contra gentes cap. 68. Suarez Metaph. Disp. 34. Sect. 5. Ragusæ 3. p. q. 4. art. 1^o. Rubi Phys. Tract 1^o. q. 4. Murcia 1^o. Phys. Disp. 6. q. 2^a. Hurr. Phys. Disp. 2. Sect. 7. Oviedi Metaph. Cont. 6. p. 4. Comptoni, &c. contra Vasques infensissimum hostem substantiarum partialium, Albertinum, De Lugo, Arriagam, &c.

CXXVI. Probat 1^o P. Oviedus; Verbum fuit unitum animæ, & materiæ humanitatis Christi, per partiales uniones, ut constat ex triduo mortis Christi; ergo materia & forma habent partiales substantias; quia non ex alio capite inferimus naturam esse capace[m] substantiæ, nisi quia Verbum fuit unitum naturæ, quod fuit unitum etiam animæ separate; de materia prima (inquit) à paritate animæ eadem conclusio sufficienter probatur. Verum

CXXVII. Respondeo concessio toto antecedente, negando consequentiam: si enim dicamus cum P. Oviedo substantiam esse terminum substantialem, & non basim, dico animam rationalem & materiam primam, tam posse naturaliter existere sine substantia partiali, quam sine invicem, licet non dicant repugnantiam ad hoc, ut illam habeant, sicut non dicunt repugnantiam naturalem ad hoc, ut naturaliter se mutuo informant; quod verò anima manserit unita Verbo in statu separationis, ex necessitate animæ non est factum, sed ex gratuita Dei voluntate.

CXXVIII. Nec rectè P. Poncius 3^a parte, Disp. 18^a dicit, nos ideo colligere humanitatem habere Personalitatem propriam, quia completur de facto per personalitatem Verbi; nam ex eo tantum colligimus illam esse realiter ab humanitate distinctam, & humanitatem posse illam habere; non verò actu habere: ex quo ulterius patet ad argumentum P. Telles, quod p. 3^a in Metaph. Disp. 56^o. sæpius repetit: nempe, *Quod potest assumi ad substantiam Verbi, debet habere propriam substantiam;* non enim debet illam habere, sed sufficit quod illam habere possit, ut constabit infra de accidente, quod dicemus à Verbo assumi posse: & patet à simili ex materia prima, quæ ut possit à forma informari, non debet aliam habere formam; sed sufficit, quod illam habere possit: hinc ad id quod paulò infra subdit, creationem esse rerum substantium, clarè etiam patet, videlicet, creationem esse rerum per se & seorsim à subjecto educationis naturaliter substantium.

CXXIX. Probat 2^o, ulterius uterque; animæ substantia non repugnat cum unione ad mate-

riam; ergo anima potest terminari eadem substantiâ, dum est unita, & dum est separata, & è contra.

CXXX. Respondeo concedendo totum, quia per hoc non convicitur habere substantiam partialem, sed talem, quæ non pugnet cum unione ad materiam, quod non negabunt nostri Adversarii. Quare aliter

CXXXI. Probat conclusio, quia id omnino conformius est existentie ipsius naturæ, ergo, &c. Probat consequentia, quia substantia sequitur naturæ existentiam; sed naturæ existentia, vel est incompleta (si natura partialis), vel completa (si totalis) ex duabus partialibus existentis, quæ se mutuo complent; ergo substantia, vel est incompleta (si existentia partialis), vel completa (si existentia totalis) ex duabus partialibus substantiis, quæ se mutuo complent: minor patet ex dictis Disputatione 2^a. Dubio 4^o. Probat major, quia sicut existentia complet naturam in esse, ita substantia complet naturam in existere, ergo, &c.

CXXXII. Confirmatur, alioqui materia prima v. g. vel subsisteret per substantiam ipsius formæ, vel per unam utriusque indivisibilem: non 1^{um}, quia sicut forma est natura incompleta, ita & ipsius substantia est incompleta, alioqui ei proportionata non esset, unde totum numquam completè & totum subsisteret, sed incompletè dumtaxat & pars ejus, quod est absurdum: deinde, sicut existentia formæ petit compleri per existentiam materiæ, ita & substantia formæ per substantiam materiæ, quod alioqui non fieret: non etiam 2^{um}, quia illa est completa & incomplebilis per substantiam formæ, contra exigentiam substantiæ materiæ, quæ petit compleri per substantiam formæ, sicut ipsius existentia per existentiam formæ, ut jam dictum est; & alioqui substantia non sequeretur naturæ existentiam, quæ in materia permanens est & incompleta, ut Disp. 2^a. Dub. 3. & 4^o. probatum est; quidni & substantia? qualis, non esset, ut patet. Neque his obstat Aug. lib. de Eccles. Dogmatibus, cap. 16. ubi dicit *solum hominem habere animam sustentativam, animalium verò animas non esse sustentativas;* quia intelligi debet de sustentativitate per se & seorsim naturaliter à subjecto educationis, quæ soli animæ hominis convenit; unde patet ad D. Thomam, qui 1. p. q. 75. art. 3^o. locum istum pro sua sententia citat.

CXXXIII. Objicies ex P. Vasques: non dantur in eodem composito substantiali plura supposita partialia; ergo nec plures substantiæ partiales: consequentia tenet à pari.

CXXXIV. Respondeo negando antecedens, quia sicut datur suppositum inadæquatè, & sicut corpus est homo inadæquatè, & anima rationalis est homo inadæquatè; ita dantur in eodem composito duo supposita partialia, sive inadæquatè; licet absolutè duo supposita dici non debeant, quia ex usu communi absolutè suppositum accipitur pro natura individua completa substantente.

R E S O L U T I O I I.

Iuxta eandem Sententiam.

2^a Pars Problematis.

CXXXV. **D**ico 2^o, anima rationalis, & materia prima, tam in corpore, quam extra, (dum

(dum extra subsistit) non habent subsistentiam partialem sibi propriam; sed subsistunt subsistentiâ unâ totali & indivisibili: ita Molina 1. p. q. 29. art. 2. dist. 3. Fonseca 9. Metaph. cap. 8. q. 5. Sect. 1. Vasquez, & alii n. 125. citati.

CXXXVI. Probatur, quia subsistentia incompleta animæ & incompleta materiæ implicant contradictionem, ergo, &c. probatur antecedens, quia qualibet esset prima basis naturæ, & non esset, secundum unam sententiam ex Problematicè propugnatis Dub. 1^o. esset ultimum complementum substantiale, & non esset secundum aliam sententiam; sed hæc implicant contradictionem, ergo, &c.

CXXXVII. Probatur minor pro prima contradictione; esset prima basis, ut supponitur: non esset, quia subsistentia formæ esset in subsistentia materiæ, vel saltem in materia, tamquam basi, ergo, &c.

CXXXVIII. Nec dicas de ratione subsistentiæ materiæ esse, esse primam basim materiæ, & de ratione subsistentiæ formæ esse, esse primam basim formæ; nam subsistentia materiæ & formæ (saltem materialis) non debent distingui plusquam connotato, & debet esse earum ratio intrinseca una & eadem, scilicet prima basis naturæ, ut constat à pari in suppositalitate, & personalitate, quæ, partem naturæ esse suppositum aut personam non denominant, ut patet.

CXXXIX. Probatur minor pro secunda contradictione; esset ultimum complementum substantiale, ut supponitur: & non esset, quia subsistentia formæ deberet compleri per subsistentiam materiæ, & è contra, ergo, &c.

CXL. Nec dicas de ratione subsistentiæ materiæ esse, esse ultimum complementum substantiale materiæ sive materiale; & de ratione subsistentiæ formæ esse, esse ultimum complementum substantiale formæ sive formale; nam, ut dixi, subsistentia materiæ & formæ, non debent distingui plusquam connotato, & debet esse earum ratio intrinseca una & eadem; unde non est ratio distinguendi ultimum complementum substantiale in materiale, & formale illius completivum, ut solutione argumentorum magis probabitur.

CXLI. Objicies tamen 1^o, utraque partialis subsistentia non debet dici prima basis divisim, sed conjunctim respectu totius, quasi simul sumptæ aham basim non præsupponant; item utrumque ultimum complementum, &c. non debet dici ultimum, &c. divisim, sed conjunctim, quasi simul sumpta aliud ultimum complementum non præsupponant; ergo solutio ista, ac per consequens Resolutio nulla.

CXLII. Respondeo negando assumptum; quia, cum partialis subsistentia dicat essentialem ordinem ad compartem, à qua perfici, & quam perficere debet; & ad totum, non nisi hac mediante, ordinem dicat, debet esse prima basis partialis respectu compartis, & per ordinem ad compartem, ad quam essentialem ordinem dicit: idem dic proportionaliter de ultimo complemento.

CXLIII. Objicies 2^o, non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hic multiplicantur entia sine necessitate, ergo, &c. Probatur minor, quia in qualibet generatione, destruitur subsistentia totius pereuntis, & produci debet nova succedentis, ergo, &c.

CXLIV. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in unionem indivisibilem totius, quia in qualibet generatione destruitur unio indivisibilis pereuntis totius, & produci debet nova succedentis, ut patet; si autem hæc nova ex parte utriusque produci possit, quidni & nova subsistentia ex parte utriusque?

CXLV. Respondeo 2^o, negando minorem; nam eadem necessitate, quâ hic multiplicantur totales, in alia sententia multiplicantur partiales; quam multiplicationem, si ut superfluan & sine necessitate non recenseas, neque recenseo aliam esse talem, quia eadem est utriusque multiplicationis ratio; & partialem hic non agnoscimus; igitur debet totalis multiplicari.

CXLVI. Objicies 3^o, hæc Resolutio est contradictoria præcedentis, ergo alterutra est falsa.

CXLVII. Respondeo utramque dici successive quoad nos falsam, dum successive oppositam defendimus: itaque sistendo in hac Resolutione, ad fundamenta primæ sententiæ Respondebis negando esse conformius existentiæ ipsius naturæ, subsistere per subsistentias partiales, sed debere per totalem, quia illæ contradictionem implicant.

CXLVIII. Stando verò in prima sententia, ad fundamenta hujus: Respondebis negando subsistentias partiales implicare contradictionem aliquam, & dices subsistentias materiæ & formæ esse diversæ speciei, non secus ac sunt earum existentiæ, quæ ab ipsis specificantur; ac proinde subsistentiam materiæ debere dici primam basim solum materiæ, & subsistentiam formæ primam basim solum formæ; & idem est de ultimo complemento, videlicet subsistentiam materiæ esse ultimum complementum materiæ, ac proinde materiale; subsistentiam autem formæ esse ultimum complementum formæ, ac proinde formale, quæ se mutuo perficere debent & complere, non secus ac materia formam, & è contra; dicuntur igitur basis & ultimum complementum non per ordinem ad invicem, sed per ordinem ad totum, modo supra dicto; nec aliud necessarium est (quidquid antea dictum sit) quia etiam probabiliter dici possunt esse prima basis & ultimum complementum per ordinem ad totum, & non respectu invicem. Ex his

CXLIX. Patet contra Vasques non esse de ratione subsistentiæ facere rem, quam afficit, omni modo incommunicabilem; sed totum dumtaxat, quod constituit, ut patet ex subsistentia totali indivisibili in sententia ipsiusmet Vasques, quæ non minus immediatè singulas partes afficit, quàm subsistentiæ partiales; illas tamen non reddit sibi invicem incommunicabiles, sed totum dumtaxat, quod constituit, alteri supposito positivo.

RESOLUTIO III.

Juxta sententiam admittentem Subsistentiam negativam.

CL. **D**ico 3^o, juxta sententiam hanc non dantur subsistentiæ partiales materiæ & formæ: est contra Poncium & alios loco citato.

CLI. Probatur, quia, ut supra insinuavimus, non apparet quis possit esse effectus formalis subsistentiæ partialis negativæ, ergo, &c.

CLII. Probatur antecedens, quia ille deberet esse incommunicatio, & incommunicabilitas naturalis

alteri tamquam supposito partiali vel totali; sed neutra potest esse, ergo, &c. probatur hæc minor, quia una pars in toto est communicata & communicabilis alteri partiali supposito, & utraque totali, ergo, &c.

CLIII. Dices effectum formalem subsistentiæ partialis negativæ, esse incommunicationem & incommunicabilitatem naturalem alteri, tamquam supposito totali realiter distincto, ergo, &c.

CLIV. Respondeo negando antecedens; nam, cum duæ formæ totales substantiales possint simul naturaliter esse in eadem materia, & eadem anima rationalis in diversis materiis conjunctis, effectus subsistentiæ partialis negativæ non est (ut patet) in illis casibus incommunicatio, & incommunicabilitas naturalis alteri supposito totali realiter distincto: deinde si effectus ipsius formalis non sit incommunicatio, & incommunicabilitas naturalis ad partem, cur erit ad alterum suppositum realiter distinctum, in quo est pars similis naturæ cum parte? hinc male P. Telles parte 3^a in Metaphysicam Disputatione 55^a Sectione 3^a dicit, incompletam subsistentiam tollere communicationem alteri supposito, quantumvis subsistentia partialis sit positiva.

RESOLUTIO IV.

CLV. **D**ico 4^o, in utraque sententia allata partes integrantes totius habent subsistentias partiales integrantes. Ita communiter

CLVI. Probatur, quia subsistentia esset alioqui indivisibilis integraliter, & eadem in pluribus locis, ut crine capitis & ungue pedis, etiam diffusibilis, sicut sunt partes integrantes ejusdem Oceani: item deberet tota perire ad ablationem, vel adjectionem minimæ partis pili aut unguis, guttulæ aquæ, &c. quæ sunt absurda, ergo, &c.

RESOLUTIO V.

CLVII. **D**ico 5^o, contra Cardin. De Lugo Disp. 12. de Incar. P. P. Arriagam, Oviedum, Comptonum, Telles & ceteros: unio inter materiam & formam, & similes modi substantiales (ut ajunt,) non subsistunt per subsistentiam partialem sibi propriam. Ita P. Hurtadus Phys. Disp. 2^a. Sect. 7^a. n. 117. licet supra n. 82. contrarium insinuarit.

CLVIII. Probatur, quia non est potior ratio, cur unio & similes modi substantiales subsistant per subsistentiam partialem sibi propriam, quam quantitas, vel cætera accidentia (si non detur quantitas realiter distincta à materia;) sed hæc in omnium sententia non subsistunt, &c. ergo, &c. Probatur assumptum, quia non sunt magis substantia, quam illa, nec aliter sunt modi substantiales, quam quia immediatè afficiunt substantiam, quod etiam illis convenit; ut tamen habeas aliqualem distinctionem inter accidentia, & unionem substantialem, ac generationem substantialem (quia communiter ab omnibus vocantur substantiales, & non cætera accidentia,) dic unionem substantialem esse compositum substantiale *ut quo* in facto esse; generationem verò substantialem esse fieri substantiæ, non item alia accidentia: cave tamen dixeris esse intrinsecè substantiales, magis quam cætera accidentia, nisi rationem disparitatis attuleris, ergo, &c.

CLIX. Confirmatur: Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, ut habet commune pronuntiatum omnium Patrum, ergo non assumpsit unionem inter corpus & animam, quia illam dimisit in triduo mortis; quod autem dicit P. Compton. Disp. 8. Metaph. Sect. 10^a Verbum assumpsisse humanitatem, & tamen eam dimisisse, non est uno & eodem sensu verum, sed diverso, sic nempe ut assumpsit humanitatem *ut quod*, non vero *ut quo* est humanitas, & dimiserit humanitatem *ut quo*, sive unionem; non verò *ut quod*, sive corpus & animam.

CLX. Objicies: secundum commune pronuntiatum Patrum Verbum assumpsit humanitatem, ergo & unionem inter corpus & animam, ex qua essentialiter constat humanitas, & sine qua non habetur.

CLXI. Respondeo distinguendo antecedens, Verbum assumpsit humanitatem materialiter, id est, illam entitatem, quæ erat realiter humanitas, puta assumendo corpus & animam, unita quidem inter se, non tamen unionem, concedo antecedens: humanitatem formaliter, & ut constitutam essentialiter per unionem, nego antecedens; quia ut sic præter rationem in contrarium in Resolutione allatam, dimisisset, quod assumpsisset *ut quod* & quidem tale finè quo non esset homo, quod est ipse homo *ut quo*, quod non dicunt Patres.

CLXII. Instabis ex Patribus Dubio 2^o Resolutione primâ citatis: Verbum assumpsit integrum Adamum; totum quod in homine plantavit; humanitatem cum omni entitate positiva illi debita; ergo & unionem.

CLXIII. Respondeo negando consequentiam; certum enim est, quod Patres loquantur de entitate naturaliter subsistente & assumptibili, unio verò naturaliter non subsistit, nec assumptibilis est, magis, quam quantitas & cætera accidentia, ut dictum est: unde contra P. Oviedum non est dicenda humanitas subsistere secundum se totam, sed secundum totum, quod in ea subsistere potest naturaliter; nec revelatum est Verbum assumpsisse humanitatem secundum se totam, (ut videtur docere) sed humanitatem finè addito id est humanitatem secundum quod est, & non secundum quo est, alioqui præter rationes præmissas ad illam deberet dari assumptionis unio, & hujus iterum nova subsistentia; vel si dicatur, cum P. Comptono, quod subsistat *ut quo* tantum suo subsistentiâ termino, dico, quod unio non debeat assumi *ut quod* per se, sed per accidens tantum assumptione terminata.

D V B I V M V.

An natura possit naturaliter existere sine omni subsistentia.

CLXIV. **N**aturam posse supernaturaliter existere finè omni subsistentia positiva affirmant Cajet. 3. p. q. 4. art. 2^o. Medina ibidem. Valentia 3. p. Disputat. 1^a. q. 4. p. 2^o. Albertinus tom. 2^o. Disp. 3^a. de Substantia q. 3. Lorca. 3. p. q. 4. Disp. 29. Card. Lugo de Incar. Disp. 12. Sect. 7. Hurtad. Arriaga, Ovied. Comptonus, &c. negant Suarez Metaph. Disp. 34. Sect. 6. Valquez tom. 1^o. in 3^{am} partem ad q. 4^{am}, Disput. 31. cap. 7^o. Fonseca 5. Metaph. cap. 8. q. 6. Sect. 5. Conimb. 1^o. Phys. cap. 9. q. 6. art. 4^o. Cambreira 3. p. ad q. 4. art. 2^o. Disput. 6. sed horum fundamenta (salva tantorum virorum pace) mihi valde

valde levia sunt, data distinctione reali Subsistentia^æ positivæ ab existentia. Quare fit

RESOLUTIO I.

CLXV. **D**ico 1^o, natura, tam completa, quam incompleta, non solum supernaturaliter, verum etiam omnino naturaliter potest existere sine omni Subsistentia termino, &c. Sed ante probationem

CLXVI. Suppono 1^o, Resolutionem procedere in sententia, quæ dicit illam Subsistentiam esse positivam, & terminum ultimum substantialem; nam in sententia, quæ dicit illam esse negativam, ex præmissis clarum est, naturam completam non posse naturaliter existere sine omni Subsistentia; & posse incompletam, hõc ipsõ, quod potest naturaliter existere sine omni forma Substantiali, aut materia Subjecto; quia non datur incompleta Subsistentia negativa: itaque Resolutio procedit de positiva, eaque termino ultimo, &c.

CLXVII. Suppono 2^o, ex fide quidem clarissimè colligi Subsistentiam creatam esse realiter distinctam à natura, & naturam esse per illam in esse suppositi complebilem: minimè verò an à creatura, & quando producat; an aliquas operationes, & quas, habeat; an sit in Subjecto pendens ab aliquibus dispositionibus, nec ne; an proprietates illius, an aliquid contingens: unde pro his omnibus, liberrimè ignorantiam fateri possumus, sicut illam liberrimè faterentur omnes de ejus reali distinctione à natura, nisi hæc ex fide colligeretur. His suppositis

CLXVIII. Probatur prima Pars Resolutionis de natura completa: natura completa non magis pendet, ut existat, à Subsistentia termino, &c. quam materia à forma Substantiali, aut anima rationalis à materia; sed materia potest naturaliter existere sine omni forma Substantiali, & anima rationalis sine omni materia; ergo & natura completa sine omni Subsistentia positiva termino, &c. ergo, &c.

CLXIX. Probatur secunda Pars de natura incompleta: quia, vel non datur Subsistentia incompleta, ut supra probatum est; vel si datur, non minus potest materia naturaliter existere sine illa, quam sine forma Substantiali, idem dicè de anima rationali, sine materia 1^a, ut solutione argumentorum patebit, ergo, &c.

CLXX. Confirmatur: ferè eodem modo se habet Subsistentia partialis ad materiam, & totalis ad naturam completam, sicut reliquæ partes ad ultimam partem divisibilem integram materiam; sed potest materia naturaliter existere sine hac, ut clarum est; ergo & tum ipsa, tum natura completa, sine omni Subsistentia termino. Ex his autè liquet ad duo præcipua Adversariorum argumenta. 1^{um} Subsistentia est terminus rei intrinsicus, qui à Deo impediri non potest; si per rem intelligant suppositum, verum est; sed licet à Deo impediri non possit, sic ut eà impedirà adhuc sit suppositum; potest tamen sic non esse, ut eà non existente adhuc sit natura, cui non est aliter intrinsicus, quam calor aquæ, forma materiae, &c. si per rem intelligant naturam, jam satisfactum est. 2^{um}, quia si daretur natura sine Subsistentia, natura esset terminata, & non esset; Respondetur fore terminatam in esse naturæ, & non in esse suppositi, uti posse naturaliter terminatam non esse contendimus. Tamen aliter

CLXXI. Objicies 1^o Divum Thomam in 3^{um} distinctione 5^a quaestione 3^a articulo 3^o: *separatio sci-*

licet à Verbo) dat utrique partium totalitatem, & in continuis dat etiam utrique esse in actu, unde hoc ipso, quod hominem deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personæ: addit Suares Metaphysicæ Disputatione 34^a, Sectione 7^a: *Sunt autem notanda verba Divi Thomæ* (scilicet allata) *ex quibus ratio non infirma pro hac parte* (scilicet nobis contrariâ) *colligitur*, ergo, &c.

CLXXII. Respondeo 1^o, Sanctum Thomam non loqui in sententia de Subsistentia positiva: sed in alia de duabus negationibus, ut colligitur aperte ex his Verbis, *Vnde hoc ipso quod hominem deponeret*, id est, à personalitate Verbi separaretur, *subsisteret homo ille*, quasi diceret Subsistentiam humanam creatam, nihil aliud esse, quam negationem unionis ad personalitatem positivam Verbi (quod supra diximus,) ac proinde factâ separatione, hoc ipso subsistere. 2^o, quod fortè probabilius, R^o. S. Thomam supponere Subsistentiam esse basim, pro quo vide n. 21. & Resolut. 2^a infra.

CLXXIII. Objicies 2^o Axioma ex Aristotele, Damasceno, Ioanne Theologo in Florentino, communiter receptum, *Actiones sunt suppositorum*; sed illud juxta hanc sententiam foret falsum, ergo, &c.

CLXXIV. Respondeo admisit illo Axiomate, quod negat Vasquez esse Aristotelis & Damasceni, illius esse sensum, quem supra dedimus; *Actiones sunt suppositorum, ubi agentia sunt supposita*; quia suppositum est denominatû quod & materiale: vel hunc juxta Aristotelem, quem pro te citas, *Actiones sunt individuorum*; quia cum Aristoteles, & multi antiqui Philosophi de Subsistentia nihil somniarint, per supposita nihil aliud intellexerunt, quam individua, quorum, & non universalium, actiones sunt.

CLXXV. Instabis ex D. Caramuèle Metaphysicæ libro 3^o Sectione 1^a: si Subsistentia sit solum conditio ad operandum requisita, & à fortiori si possit natura naturaliter sine illa existere, omnes hæc propositiones, *Verbum est incarnatum*, *Divina persona est nata, passa, sepulta*, &c. quæ fide tenendæ sunt circa personam Christi, non magis erunt veræ, quam hæc, *Approximatio calefacit*, quæ ab omnibus semper negatur, ergo, &c.

CLXXVI. Resp. negando assumptum pro utraque parte; nam illæ propositiones non ideo sunt veræ, vel quia personalitas non potest separari naturaliter à natura, remanente naturâ (quod hic contendimus;) vel ideo quia Subsistentia est conditio aut Principium quo operis: sed quia est Principium quod, & radicale omnis actionis & passionis suppositi; unde hujus propositionis *Verbum est incarnatum* est hic sensus, *Filiatio terminans naturam Divinam est res terminans unionem ad carnem*; hujus verò, *Divina persona est nata*, hic, *filiatio terminans naturam Divinam est terminans nativitatem*; item hujus, *Divina persona est passa*, hic, *Filiatio terminans naturam Divinam est terminans passionem*, puta mediante naturâ humanâ, quam personaliter terminat; istæ enim propositiones non propter aliam rationem sunt veræ, quam quia prædicatum earum, personæ Verbi convenit ratione alicujus formalitatis in Christo existentis; quia actiones & passiones alicujus formalitatis suppositi, communicantur supposito, sive Principio radicali, cujus alia ratio reddi non potest, quam acceptio communis.

CLXXVII. Nec si ab Eximio D. Caramuèle dicente hujus propositionis, *Deus fuit passus*, esse hunc sensum, *Persona habens divinitatem fuit persona habens dolores*,

dolores, passionem, &c. Quæſiero, an persona ſecundum ſe totam fuerit habens dolores, &c. an ſecundum formalitatem aliquam illius tantum, videlicet naturam humanam? D. Caramùel aut quivis alius Theologus, Reſpondere poteſt aliter habuiſſe, quàm ſecundum hanc formalitatem, cujus actiones & paſſiones tribuantur ſuppoſito; unde incautè valde P. Arriagam & Suarem propter illam doctrinam irridet, & cum dicit hanc doctrinam multum diſplicere, multum diſplicet.

CLXXVIII. Virgebis ex P. Ponceio 3^a parte Philoſophiæ Diſputatione 18^a numero 92^o: hinc ſequeretur naturam ſingularem poſſe abſque ulla ſubſiſtencia habere omnes ſuas operationes; ſed hoc eſt inconveniens, ergo, &c.

CLXXIX. Probat minor argumenti; quia hoc dato ad nihil proſus deſervire poſſet ſubſiſtencia naturæ; & conſequenter non eſſet dicendum, quòd eſſet complementum iſtius naturæ, aut perfectio ejus, ergo, &c.

CLXXX. Reſpondeo negando minorem, quia natura in primis contra De Lugo, de incarnatione Diſputatione 8^a Sectione 1^a, & alios, à ſubſiſtencia non pendet, tamquam à Principio quo in operari, ut conſtat, tum ex anima ſeparata, tum ex accidentibus Eucharisticis; illa enim natura exiſtens ſine omni ſubſiſtencia adhuc haberet omnes potentias ſuas operativas, & ſine fundamento dicendum non eſt illas in operari pendere à ſubſiſtencia, & non operaturas nili miraculoſè ſi ab ea ſeparantur: deinde ſequeretur omnes operationes Chriſti eſſe totius Sanctiſſimæ Trinitatis, quia operationes ad extra tamquam à Principio quo, ſunt totius Sanctiſſimæ Trinitatis, quòd tamen nullus dixerit, magis, quàm quòd tota Sanctiſſima Trinitas ſit incarnata, nata, paſſa, &c. Neq; etiam ab ea pendet tamquam à conditione ſine qua non, contra Suarem, Arriagam, Telles, &c. quia non apparet, quo ſenſu ſit potiùs conditio neceſſaria ad operationes naturæ, quàm ad exiſtenciam naturæ, ad quam non eſt conditio neceſſaria, ut patet ex Reſolutione. Ad probationem verò minoris

CLXXXI. Reſpondeo ſubſiſtenciam adhuc naturæ deſervituram ad finem à Deo cognitum, & nobis naturaliter incognitum, non ſecus ac ipſa nobis naturaliter incognita eſt; non enim omnes formalitates entis ſerviunt ad operationem, ſed aliquæ purè ad ornatum, aliæ ad alios fines, quos penetrare non poſſumus. Ex his

CLXXXII. Colliges non ideo opera Chriſti fuiſſe infiniti valoris, quia fuerunt à perſonalitate Verbi infinitæ dignitatis, tamquam à Principio Phyſico quo, vel tamquam à conditione ſine qua non potuiſſet humanitas Chriſti Phyſicè operari; ſed quia juxta communem acceptionem, ac proinde moraliter, actiones & paſſiones alicujus formalitatis ſuppoſiti, ſunt ſuppoſiti tamquam Principii quòd & radicalis, valor autem moralis, & meritum operum, ſumitur à dignitate ſuppoſiti operantis.

RESOLUTIO II.

CLXXXIII. Dico 2^o, natura ſive completa, ſive incompleta, non poteſt naturaliter exiſtere ſine omni ſubſiſtencia baſi, ſive fundamento ſuo, &c. exceptà fortè animà rationali.

CLXXXIV. Probat, quia natura ſive completa, ſive incompleta ab ea pendet à priori, tamquam à cauſa materiali, non ſecus ac formæ materiales à

materia; ſed hæc ex dictis Diſputatione 3^a, non poſſunt naturaliter exiſtere ſine materia, ergo nec natura, &c. ſine omni ſubſiſtencia baſi, &c. poſſe verò ſupernaturaliter conſtat à pari.

CLXXXV. Dixi, exceptà fortè animà rationali, quia ſic ut illa ex dictis poteſt naturaliter exiſtere ſine materia, ita & ſine ſubſiſtencia, ſi dicas illam ex ſubſiſtencia non educi, ſed creari, de quo Dubio 1^o Reſolutione 4^a, aliquid diximus.

D V B I V M V I.

An natura creata poſſit Supernaturaliter terminari duplici ſubſiſtencia.

CLXXXVI. Dico 1^o, natura creata; nam Divinam tribus ſubſiſtentiis Divinis terminari, fide Divinà credendum eſt. Pro hac igitur Reſolutione

CLXXXVII. Suppono 1^o, ſubſiſtenciam incretam Verbi terminari ſe naturam humanam ſimul & propriam, ac proinde naturam poſſe alienà ſubſiſtenciam terminari, quòd fide Divinà conſtat.

CLXXXVIII. Suppono 2^o, naturam non poſſe naturaliter terminari duabus ſubſiſtentiis, ſive propriis, ſive alienis; quia, ut patet, alterutra eſſet ſuperflua & otioſa. His ſuppoſitis, ſit

RESOLUTIO I.

CLXXXIX. Dico 1^o, in ſententia admittente ſubſiſtenciam creatam eſſe entitatem poſitivam, poteſt natura creata ſupernaturaliter terminari duplici ſubſiſtencia, ſive utraque ſit aliena, ſive utraque propria; ſive una propria, & altera aliena; ſive utraque ſit modus, ſive utraque res: hæc ultima Pars à paucis examinatur, præterquam P. Oviedo, qui contrarium ſentit. Quòd verò poſſit terminari divinitus propria & aliena, ex Antiquioribus tenent Origenes, Tertullianus & alii apud Valentiam 3. p. Diſp. 1^a. q. 3. p. 6. Item Okamus in 3. Diſt. 1^a. q. 1. Gabriël ibidem Diſt. 2^a. art. 3. Major eadem Diſt. q. 5. noſter Bacho etià in 3^{um}. Diſt. 5. art. 2^o. his verbis, Licet natura humana ſit ſufficientiſſimè intenſivè perſonata in Verbo, non tamen ita ſufficientiſſimè extenſivè eſt perſonata, quin de potentia abſoluta Dei poſſit alia perſonalitate perſonari, quàm illa, quam habet; ita quòd amba illæ perſonalitates ſimul perſonent illam naturam. E recentioribus verò Albertinus tom. 2. q. 7. Hurtadus Diſp. 11. Metaph. Arriaga, Oviedus & alii. Contra Antiquiores alios Scotum in 3. Diſt. 1^a. q. 2^a. Cajet. 3. p. q. 3. art. 6. Henricum, quodlibet. 6. q. 7. Valquez, 3. p. Diſp. 29. cap. 2^o. Suarez etiam 3. p. q. 4. Diſp. 14. Sect. 1^a. ubi aſſerit ſe noſtram ſententiam non legiſſe apud ullum authorem. Item contra Recentiores alios Conimb. Sylvium, Sotum, Hurtadum de Incar. Card. Lugo etiam de Incar. &c.

CLXXX. Probat, quia nulla eſt repugnancia ex parte naturæ aut ſubſiſtenciam, ſive modus ſit, ſive res, ergo, &c.

Probat antecedens pro prima parte, quia natura non minus eſt ſupernaturaliter capax duarum ſubſiſtenciarum dictarum, quàm quodlibet contrariarum, frigoris ſcilicet, & caloris intenſarum, albedinis & nigredinis intenſarum, &c. vel quàm terminare duas actiones totales, locari duabus præſentibus totalibus, circumſcriptivè ſcilicet & non circumſcriptivè, ut Corpori Chriſti contingit; item quàm rectitudinem & curvitatem, motum & quietem;

rem, &c. in diversis locis habere: sed horum (ut infra probatur) est supernaturaliter capax, ergo, &c.

CLXXXI. Probatur antecedens pro 2^a parte, quia Subsistentiæ, sive utraque sit aliena, sive utraque sit propria; sive una sit aliena, una propria; non magis pugnant, quam contraria, & sola obest alterutrius, attentâ potentiâ naturali, superfluitas, quæ à Deo vinci potest, non minus, quam duæ albedines in eodem subjecto collocari à Deo; imò illa superfluitas secundum potentiam obedientialem nulla est, & ad Resolutionis hujus practicum exercitium, potius est necessitas, quam superfluitas, ut consideranti patebit, ergo, &c.

CLXXXII. Nec dicas hinc sequi naturam creatam fore infinitam; nam in primis (inquires) si possit simul duabus terminari, poterit tribus, quatuor & infinitis, ad quod requiritur virtus infinita.

CLXXXIII. Respondeo enim distinguendo sequelam: sequeretur naturam fore infinitam intrinsicè, & secundum potentiam naturalem, nego sequelam; extrinsecè, & secundum quod potentia obedientialis dicit in obliquo, quod est omnipotentia Dei elevans ad aliquid supra naturam, concedo sequelam; sed hoc est omnipotentiam Dei esse infinitam, non verò naturam secundum se: quod autem essent duæ propriæ & emanantes ab intrinsecò, non facit illas convenientes naturæ secundum potentiam naturalem ejus & intrinsicè; quia altera non emanaret nisi supernaturaliter & secundum potentiam obedientialem; ac proinde non esset natura propria, nisi negativè, hoc sensu, quod non esset alteri connaturalis & positivè propria.

CLXXXIV. Confirmatur 1^o, potest eadem materia simul informari duabus formis totalibus; eadè anima rationalis diversis unionibus totalibus totalitate animæ ad diversas corporis partes terminari; eadem forma materialis produci per educationem & creationem; eadem spiritualis per creationem & educationem; idem accidens esse in alio & per se; eadem forma substantialis esse per se & in alio; ergo & eadem natura terminari duabus Subsistentiis, &c. consequentia probatur; quia non est major repugnantia in his, quam in illis, imò fortè minor; quia ad summum sequitur unam fore naturaliter superfluum, ergo, &c. antecedens constat partim ex supra positis, partim ex infra ponendis Resolutionibus, ergo, &c.

CLXXXV. Confirmatur 2^o, potest natura Divina terminari tribus Subsistentiis, ergo & creata. Probatur consequentia, quia terminari tribus Subsistentiis non probatur esse à creatura imparticipabile aut esse effectus infinitus, ergo est finitus, qui creaturæ convenire potest; si verò à Sancto Thoma Tractatu de Incarnatione dicatur esse proprium Divinæ personæ, propter ejus infinitatem, assumere naturam alienam; non obstat, quia communiter Deo & ejus infinitati etiam naturalia tribuuntur, quæ non cognoscuntur jam naturaliter facta, uti creatio, quam tamen fieri posse à creatura supernaturaliter, passim admittitur, ergo, &c.

CLXXXVI. Objicies 1^o, effectus formalis Subsistentiæ est constituere naturam non communicatam aut communicabilem alteri supposito, ergo nequit eadem natura, &c.

CLXXXVII. Respondeo distinguendo antecedens, effectus formalis secundarius Subsistentiæ est constituere naturam non communicatam, aut communicabilem alteri supposito, concedo antecedens:

primarius, nego antecedens; nam primarius effectus entis positivi non est negativus, sed negativus contradictoriè oppositus: secundarius verò, qui formæ exigentiam naturalem sequitur, supernaturaliter impediri potest, ut constat in contrariis: hinc patet contra nonnullos alterutrius Subsistentiæ effectum formalem (saltem primarium) non esse negativum, sed positivum, & ut summum contrarium; ac proinde non repugnare contradictoriè eandem naturam simul duabus Subsistentiis terminari, sed ut summum contrariè: quod Deus absolute vincere potest: neque naturam ita terminari, est naturam esse in se per propriam Subsistentiam, & non esse in se negativè, sed esse in se positivè ratione propriæ Subsistentiæ, & positivè non esse in se, ratione alienæ Subsistentiæ; vel potius est esse in se per unam Subsistentiam propriam, & esse iterum in se per unam alienam, quæ ut summum sunt contraria.

CLXXXVIII. Objicies 2^o, Patres & Concilia colligunt humanitatem Christi non habuisse propriam Subsistentiam, quia habebat alienam Verbi; sed hæc collectio foret nulla, si posset simul terminari duabus, ergo, &c.

CLXXXIX. Respondeo distinguendo minorem; sed hæc collectio foret nulla, si humanitas Christi posset simul naturaliter terminari duabus, concedo minorem: si supernaturaliter tantum, nego minorem; non enim sunt adstruenda miracula sine necessitate, quod ne fiat, colligunt Sancti Patres humanitatem Christi non habuisse propriam, quia habebat alienam Verbi, ad cuius exigentiam destruitur Subsistentia propria, ac proinde naturaliter ex parte Subsistentiæ Divinæ: ex quo liquet contra Emin. Card. Lugo Disputatione 12^a de Incarnatione, Sectione 6^a, falsum esse, fore tantum, & forsitan majus, miraculum, auferri à natura completa propriam Subsistentiam, præsentem alienam Verbi, quam illam hæc præsentem conservari; nam si conservetur, fit contra exigentiam naturæ & Subsistentiæ utriusque; contra exigentiam naturæ quidem, quia non exigit duas Subsistentias; contra exigentiam verò utriusque, quia exigunt sui ab eodem subjecto mutuam absentiam: si verò non conservetur, fit quidem contra exigentiam naturæ, quia ad illam naturaliter inclinatur, & non ad Divinam (ut rectè notavit Lichetus antiquus Scoti interpres, libro 3^o sententiarum distinctione 1^a quæstione 1^a, quidquid dixerit P. Ovidius Metaphysicæ controversiæ 6^a, non esse debitam præsentem alienam) non tamen contra exigentiam utriusque, sed secundum exigentiam Divinæ, ut patet.

CC. Probatur antecedens pro 3^a parte contra P. Ovidium loco citato dicentem communem sententiam ferre, Subsistentiam modum non posse afficere extraneum subjectum: entitas, quæ respectu proprii subjecti est modus, respectu alieni esse potest res, sive alieno uniri potest per unionem distinctam; ergo etiam si Subsistentia esset modus, posset supernaturaliter proprium & alienum subjectum afficere ac terminare: consequentia patet: Probatur antecedens, quia nihil Divinæ virtuti negandum, in quo non est repugnantia, quæ ibi non est, ergo, &c.

CCI. Objicies tamen 1^o rationem, quam expendunt Hurtadus & Card. De Lugo, minus vulgarem, inquit Ovidius ex Suare: modus est actuale exercitium, & communicatio sui effectus formæ per seipsum, & non per aliam entitatem superad-

ditam

ditam, &c. ergo subsistentia modus non potest constituere naturam subsistentem per modum alium superadditum.

CCII. Confirmatur ex P. Oviedo: actio, quia per seipsam respicit hoc Principium efficiens, non potest, mediante modo superaddito, aliud Principium respicere, ergo idem est de subsistentia modo.

CCIII. Resp. distinguendo assumptum; modus respectu proprii modificati, & ut modus, est actuale exercitium, est communicatio, &c. concedo assumptum: respectu alieni, & ut res, nego assumptum; similiter distingue consequens.

Ad Confirmationem

CCIV. Resp. negando antecedens; eodem enim modo Philosophandum de actione, unione, &c. ac de subsistentia & aliis; si enim actio creativa, v. g. uniretur per unionem superadditam (ut docebimus infra) alieno subjecto sub ratione actionis, sive ut actio, & non tantum ut passio, & unus homo, si ille intelligatur de subsistentia Divina; si verò de creata, in primo casu erunt duo homines, & duæ personæ; in 2º unus homo, & una persona.

CCV. Objicies 2º, unio istius modi ad naturam extraneam terminata, erit naturalis, vel supernaturalis; neutrum dici potest, ergo, &c. Probatur minor; non imprimis naturalis, quia erit supra existentiam istius naturæ extraneæ, & naturalem existentiam modum subsistentiæ in duabus naturis; neque etiam supernaturalis, quia afficiet duo extrema secundum eandem entitatem naturalia, ergo, &c.

CCVI. Resp. fore naturalem in substantia propter rationem allatam; supernaturalem tamen quoad modum, quia duo extrema afficiet secundum modum existentiam supernaturalia; nam naturæ supernaturale est subsistere subsistentiæ alienæ, & subsistentiæ supernaturale est, dare naturæ extraneæ subsistere.

R E S O L U T I O II.

CCVII. Dico 2º, in sententia admittente subsistentiam creatam esse duas negationes, non potest natura creata supernaturaliter terminari duplici subsistentiâ, quarum altera sit creata, sive non Divina. Hanc Resolutionem dicit P. Poncius Metaph. Disp. 18. esse clarissimam, sic ut Scotus putarit illam non relinquere locum Contradictionis.

CCVIII. Probatur, quia natura non potest affici de novo negationibus, nisi per unionem realem eorum ad se, aut desitionem contradictorii; sed ad hoc, ut natura creata supernaturaliter terminaretur duplici subsistentiâ, alterutro modo deberet affici, quod non potest, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; quia, præterquam quod non magis intelligi possit unionem positivam terminari ad negationem, quam ens recipi in nihilo, & nihil recipere ens; hoc ipso, quod esset talis unio, non esset negatio communicationis, sed ipsa communicatio alteri, quam proprio supposito, ergo, &c. minor pro secunda parte, quod non potest, patet; quia natura creata non habet in se contradictorium, sive subsistentiam positivam, ad cuius desitionem affici possit novâ negatione, ergo, &c.

D V B I V M VII.

An dua natura, humane v. g. terminata subsistentiâ unâ; vel è contrâ una natura duabus subsistentiis, essent duo homines, an unus dumtaxat.

ANte Resolutionem
CCIX. Hic suppono ea, quæ Disp. 4º Præparamenti Logici Dubio 2º suppositi & resoluti. His itaque suppositis, sit

R E S O L U T I O.

CCX. Dico contra Marsilium, Gabrielem, Suarezem, Molinam, Conimbricenses, &c. in primo casu dubii forent duo homines, & una persona; in secundo, duæ personæ, & unus homo, si ille intelligatur de subsistentia Divina; si verò de creata, in primo casu erunt duo homines, & duæ personæ; in 2º unus homo, & una persona.

CCXI. Probatur, quia ex dictis in Logica loco citato, concreta sive substantialia, sive accidentalia, sive adjunctis nominibus numeralibus, sive non, multiplicantur per solam multiplicationem rectorum, & licet obliqua, sive formæ tantum, infinities multiplicentur, non multiplicantur: quorum ratio est, quia propositiones verificantur ratione solius identitatis inter prædicati & subjecti propositionis recta; atqui homo, utpote concretum expressum per nomen naturæ, dicit in recto naturam, uti & creata persona; persona verò Divina subsistentiam; ergo, &c.

CCXII. Nec dicas cum Caramuèle Mataphysica libro 2º Disputatione 13, ex his sequi hujus propositionis, *Deus est homo*, esse hunc sensum, *Deitas in persona est humanitas in persona*; ex quo sequitur (inquit) hanc propositionem debere admitti, *Deitas est humanitas*, quæ absolute est erronea, ne id dicas (inquam) quia licet concreta *homo* & *Deus* simpliciter & absolute accepta, dicant naturam in recto & personalitatem in obliquo; non tamen ex Hypothesi quod accipiantur pro Christo, uti in illa propositione supponi debet; nam extra Christum hæc propositio, *Deus est homo*, esse hunc sensum, *Deitas in persona est humanitas*, quam merito reprehendit: Ex Hypothesi ergo quod accipiantur pro Christo allata propositio, *Deus est homo*, æquivaleret huic *Christus est homo*, cuius hic est sensus, *Christus est natura humana subsistens in personalitate Verbi*; hæc verò *homo est Deus*, æquivaleret huic, *Christus est Deus*, cuius est hic sensus, *Christus est natura Divina subsistens in personalitate Verbi*; quia tamen monuimus in Logica loco citato, de eo quod importat subjectum in recto, ubi supponitur pro Christo, judicandum secundum prædicatum, quod ipsi attribuitur; hujus propositionis, *Deus est homo*, melius dicitur esse hic sensus, *Natura humana subsistens in personalitate Verbi est homo*; & hujus, *Homo est Deus*, hic, *Natura Divina subsistens in personalitate Verbi est Deus*; ratio est, quia subjectum ibi sumitur pro Christo præcisè accepto sub ea ratione, sub qua illi prædicatum convenit, (ut omnes fateri debent) nec sub alia ratione ipsi convenit. Quod verò dicit Caramuèle hujus propositionis *Deus est homo*, hunc esse sensum, *Persona habens Deitatem est persona habens humanitatem*, aperte falsum est, ut constat, tunc ex propositionibus

positionibus fidei contra allatis in Præparamento Logico; tum quia apertè sequeretur hanc propositionem esse veram, *Deus alium Deum generat*, sicut verum est, *persona habens Deitatem, generat aliam personam habentem Deitatem*. Id autem nullus Catholicorum admisit.

CCXIII. Confirmatur antecedentis probatio, quia alioqui concreta multiplicarentur per multiplicationem obliqui; quo casu essent tres Dii; quia nomen *Deus* dicit personalitatem in obliquo, quæ est trina: item in divinis esset unica persona, quia nomen *personæ* dicit naturam in obliquo, quæ est unica; atqui hæc sunt hæretica, ergo, &c. major & minor patent ex suppositis in Præparamento Logico sæpiùs citato.

CCXIV. Respondet Caramuël loco citato non fore tres Deos, licet nomen *Deus* importet solam personalitatem in recto, & consequenter (inquit) multò minus, si eam importet in obliquo tantum: ratio ipsius est, quia licet sint futuri tres habentes Deitatem, non sunt tamen futuri tres habentes Deitates. Sed

CCXV. Contra 1º. hinc sequitur nequidem fore tres personas in divinis; quia si ad multiplicationem nominum naturæ, ut est *Deus*, requiratur multiplicatio rectorum & obliquorum, quam ibi requirit; etiam requiretur ad multiplicationem personarum, quæ in divinis (cum Deitas sit immultiplicabilis Physicè) reperiri non potest; unde in divinis esse non poterunt tres personæ, quod iterum est hæreticum.

CCXVI. Contra 2º. concreta multiplicantur eo solo, quod importatur in recto, multiplicato; sed secundum Caramuëlem, nomen *Deus* in recto dicit personam, sive rem habentem Deitatem, ergo si tres personæ, sive tres res habentes Deitatem, sunt tres Dii consequenter, quod est error pejor priore.

CCXVII. Contra 3º. concretum *Deus* juxta Caramuëlem in recto dicit unam personam, vel tres? si primum, ergo tres personæ non sunt *Deus*, quia tres personæ non sunt una persona; vel sunt tres Dii, sicut sunt tres unæ personæ, sive tertio una persona: si secundum, ergo Pater non est *Deus*, Filius non est *Deus*, &c. quia nec Pater est tres personæ, nec Filius est tres personæ: unde exorbitat Caramuël, cum se ducem præfigit aliis, ne (inquit) in exorbitantias erroneas incautè incident.

CCXVIII. Adde mentem Sancti Thomæ obscuram esse, si dicas ipsum, 3ª. parte, quæstione 3ª. articulo 7º. 1ª. parte quæstione 39ª. & articulo 4º. (ubi ad multiplicationem concreti substantivi, requirit multiplicationem significati magis principaliter & expressè importati) loqui de significato magis principaliter importato in ordine ad veram prædicationem, quod est rectum; & attendas ipsum nostram sententiam expressè docere in tertium distinctione 1ª. quæstione 2ª. articulo 3º.

D V B I V M VIII.

An forma accidentalis, sit per se immediatè à persona positiva, etiam divina, assumptibilis.

ANtè Resolutionem, quia specialis est difficultas pro persona divina.

CCXIX. Suppono ex dicendis de unione humanitatis ad Verbum. 3ª. parte Theologiæ, unionem
R. P. Francisci Bone Spei Physica.

hypostaticam, id est, naturæ humanæ in hypostasin Verbi, nihil aliud esse, quàm productionem naturæ humanæ in personalitate Verbi adhæsivè, id est, cum intima ad personalitatem Verbi præsentia; quia tamen omnes personalitates divinæ sunt invicem summè penetratæ, seu intimè præsentès, propter quod docet P. Amicus Postremo editus, 3ª. parte, *Mysterium Incarnationis esse inintelligibile*; addèdum illam productionem dicere essentialè ordinem ad solam personalitatem Verbi, sicut illa sola incarnatur (& sic de similibus); alioqui omnes personæ simul hypostaticè unirentur, ut patet, quod est hæreticum: quomodo autem id fieri possit non est hujus instituti, & commodius 3. p. declarabitur, multum tamen juvant ad illius intelligentiam dicta in Logica Tract. 1º. Disp. 2ª. Dub. 5º. hoc autem supposito, sit

R E S O L U T I O.

CCXX. **D**Ico: forma accidentalis est per se immediatè assumptibilis à persona Divina. Ita Almainus in 3. dist. 2. q. 2. Marsil. ibidem q. 3. Gabriel in 3. dist. 1ª. q. 2. art. 2º. Major in 3º. Dist. 2. q. 3. P. Magister noster Bacho in 3º. Dist. 3. art. 2º. *infinita suppositabilitas* (puta activè ut sit *suppositivitas*) *sufficit ad suppositandum omne suppositabile cujuscunque rationis*. Itè Valentia 3. part. Disp. 1ª. q. 4. puncto 1º. à §. & hæc quidem, ubi testatur eam esse communiorè & veriorè. est contra Suarem 3. p. tom. 1º. ad 4. quæstionem Disp. 14. sect. 4ª. item Vasquez ibidem Disp. 30. cap. 5º. Albertinum, Ragusa, & alios quos citant.

CCXXI. Probaret aliquis ex D. Thoma 3ª. part. *accidens unitur personæ in persona*; item ex Porphyrio capite 9º. *accidens semper in subjecto subsistit*: Verùm Sanctus Thomas loquitur de unione mediata in persona, mediante scilicet humanitate Christi, ex qua non rectè inferitur, posse supernaturaliter dari immediatam; nam multa naturaliter fieri possunt, quæ supernaturaliter immediatè fieri non possunt, ut homo immediatè per ubi ubicatur, per albedinem albicatur naturaliter, non potest tamen immediatè per se supernaturaliter, & sic de aliis: Porphyrius verò per *ly subsistit*, intelligit subjectatur; quia verisimilis est subsistentiam non agnovisse; quare probatio ista non est solida. Igitur aliter

CCXXII. Probatur 1º. quia sicut forma accidentalis supernaturaliter produci potest productione essentialiter connotante corpus, vel animam intimè præsentem, ita supernaturaliter productione connotante essentialiter subsistentiam Verbi v.g. intimè præsentè; atqui illo casu forma accidentalis immediatè assumeretur à persona Divina, ergo, &c. minor & consequentia patent; ex præsupposito ad Resolutionem. Major probatur à paritate rationis.

CCXXIII. Probatur 2º. forma accidentalis est immediatè naturaliter producibilis in substantia Petri subjecto, ergo & supernaturaliter in subsistentia Verbi termino: Probatur consequentia, quia in utroque dici potest terminari, sed diversimodè, ut consideranti patebit, ergo, &c.

CCXXIV. Dixi *supernaturaliter*, quia si posset subsistentia Divina naturaliter uniri accidenti, à fortiori naturaliter posset uniri substantiæ creatæ, sive naturæ humanæ; unde *Mysterium Incarnationis non esset supernaturale*; quod unanimiter negant Theologi.

F Objicies

ccxxv. Objicies 1^o. Subsistentia non potest alteri uniri; quin illi effectum aliquem formalem tribuat, aut aliquem ejus defectum suppleat; atqui subsistentia Divina nullum effectum formalem accidenti tribuere potest; nec apparet, quem ejus defectum suppleat, ergo, &c. Probat minor pro prima parte; quia si quem effectum formalem tribueret, maximè esset existeret, & hunc non, quia existentiam habet à se, non secus ac formæ substantiales, vel subsistere, & hunc etiam non, quia subsistere proprium est substantiæ; ergo, &c. Probat minor pro secunda parte; quia nullum est fundamentum adstruendi complementum aliquod substantiale accidentis, ab eo realiter distinctum, præsertim, cum nequidem tale complementum substantiæ admitteremus, si aliter Mysterium Incarnationis explicare possemus, ergo, &c.

ccxxvi. Respondeo negando minorem pro 1^a parte; effectus enim, quem tribueret subsistentia accidenti, (si nolis esse, sed sine ratione, esse subsistens) esset esse unitum unione terminatâ, ut terminatâ ad subsistentiam Divinam, quod haberi non potest per unionem præcisè; unio enim quæcunque terminata, ut terminata essentialiter importat terminum, ad quem terminatur: tamen dici potest effectum, quem illi spectato secundum potentiam obedientialem tribueret, fore esse subsistens; nam ab inesse ad denominari fortè sequitur, cur enim omne subjectum non esset capax denominationis formæ, cui forma est capax inesse? ut fufius ostendemus infra: & 1^a Parte. hinc patet ad 2^{am} partem minoris, & ejus probationem; supplet enim defectum subsistentiæ accidentis, ei secundum potentiam obedientialem convenientis; & fundamentum hujus subsistentiæ sumitur, tum ex pro-

batione Resolutionis, tum ex non repugantiâ accidentis ad esse subsistentiæ terminatum secundum potentiam obedientialem, quæ cum sit extrinsecè Dei omnipotentia, extendi debet quantum sine aperra repugnantia potest.

ccxxvii. Objicies 2^o. impossibile est substantiam inhærere, ergo & accidenti subsistere. Pro solutione hujus objectionis, vide Disputationis 3^a Dub. 5^{um}.

ccxxviii. Objicies 3^o. absurdum est inter formam accidentalem, & personam Divinam dari communicationem idiomatum; nam, vel Deus deberet dici albo substantivè, vel albus adjectivè, quorum utrumque est absurdum, ergo, &c.

ccxxix. Respondeo distinguendo majorem; absurdum est inter formam accidentalem, & personam Divinam dari communicationem idiomatum per modum prædicationis substantivæ, concedo majorem; & ratio est, quia illa oritur ex assumptione naturæ completæ; per modum prædicationis adjectivæ; nego majorem; quid enim sicut Verbum rectè dicitur unitum, Incarnatum, &c. posset illo casu persona Divina dici albo? nam eodem planè modo se haberet persona Divina ad albedinem, sicut se habet Verbum ad unionem, carnem, &c. si verò album concipias quasi importare albedinem inhærentem, & informantem per modum formæ sustentationis, id, de quo in concreto prædicatur, ad potentiam naturæ attendis, non ad obedientiam Divinæ omnipotentiae à natura debitam; quare tuus corrigendus est conceptus, & attendere debes ad alia familia, videlicet esse unitum, (præsertim, cum ex præmissis Dub. 4^o. unio inter materiam & formam sit accidens) incarnatum, &c.

DISPUTATIO QUINTA.

De Privatione.

DVBIVM I.

Quid sit Privatio, & an ens reale.

ANte Resolutionem
I. Suppono 1^o. negationem posse dupliciter sumi, 1^o. pro propositione vocali, mentali, &c. negativa, quæ enuntiamus non esse alicujus, ut *Petrus non est lapis*: 2^o. ut est præcisè non esse alterius, ut *tenebræ respectu lucis*, cujus sunt non esse, cæcitas respectu visus, &c.

II. Suppono 2^o. negationem esse duplicem, unam essendi; negatio essendi juxta primam acceptionem est, quæ enuntiat non esse alicujus in se, ut cum dico, *Antichristus non est existens*; juxta secundam (quam impoterum ordinariè sequemur) est præcisè non existentia alicujus, Antichristi v.g.: alteram habendi; negatio habendi est negatio formæ in subjecto, quæ est duplex, una strictè, quæ confunditur cum privatione, & est negatio formæ in subjecto, commorando ejus capacitatem ad formam illam recipendam; altera latè, & est negatio formæ in subjecto nullam commorando capacitatem, &c.

RESOLUTIO I.

III. **D**ico 1^o. Privatio est negatio formæ in subjecto capaxi. Iy negatio est genus, utpotè communis ad negationem essendi & habendi; cætera sunt loco differentiae.

RESOLUTIO II.

IV. **D**ico 2^o. Privatio non debet dici ens reatum: De privativum, negatio ens reale negativum: est contra PP. Poncium, Telles, & alios plures.

v. Probat, quia (præterquam quod ibi videatur esse contradictio in terminis, nam ens reale privativum æquivalet; ens reale non est ens reale) privatio dicit solam negationem, ac proinde solum non ens reale in recto, formam verò, sive ens reale quo privat, & subjectum capax, in obliquo; unde sola negatio, seu non ens reale, affirmatur de privatione; ergo privatio in recto, solum est negatio, seu non ens reale, & non, ens reale privativum.

VI. Confirmatur: per ens reale privationem, vel intelligitur privatio, & sic dicitur idem per idem, & æquè obscurum: vel ens reale habens privationem, & sic privatio esset ens reale in recto, & negatio in